



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XV. Peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XV. PECCATUM.

§. I. Symbola.

NE unquam obdormiam in morte. Pl. 12. 4. id est, in peccato. Dormitat in morte, id est, peccato, qui frequenter labitur, & frequenter resurgit. Dormit, qui, cum ceciderit, non resurgit. Obdormit obstinatus; qui peccatum suum defendit; nec de facili excitatur. Hæc tria notantur Eccl. 43. 22. *frigidus ventus Aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua.* Aqua dormitationem, glacies dormitionem, crystallus obdormitionem, significat. Hæc est triplex mors, scilicet delectationis, consuetudinis, obstinationis; quæ notatur Thr. 3. 53. *lapsa est in lacum vitamea; & posuerunt lapidem super me.* In lapsu notatur delectatio, in lacu consuetudo, in lapide obstinatio. Hugo Card. hic.

Hi in curribus, & hi in equis. Pl. 19. 8. Currus malus superbia. Ex. 15. 4. *Currus Pharaonis &c.* Equi: divitiæ, nobilitas. Ira Nahum 2. 3. *igneæ habena currus.* Equi rixa, contumelia. Avaritia. Judic. 1. 19. *salcatibus curribus abundabant.* Equi amor parentum, ambitio dignitatum. Luxuria. Jos. 11. 9. *currusque combussit igni.* Equi ventris ingluvies, vestis mollietis. Hugo Card. hic.

Crinibus (Vulgata sumibus) peccatorum suorum unusquisque constringitur. Prov. 5. 22. Capilli pro vitij accipiuntur. S. Isidorus de offic. Eccl. 1. 2. c. 16.

Manus vestra sanguine plena sunt. Il. 1. 15. Sanguine, id est, scelerebus. Sanguis in Prophetis est Symbolum peccati, ut patet v. 18. Et Ol. 4. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Ubi S. Greg. mor. 1. 13. c. 3. sanguis sanguinem tangit, cum culpa culpam cumulaverit. Tum quia sanguinis effusio, seu homicidium, gravissimum est peccatum; tum quia sanguinis esus Judæis erat vitius, & detestabilis. Levit. 7. 27. Cornelius hic.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Jer. 21. 8. Tropologicè via vitæ est studium virtutis, & legis Dei; via mortis est peccatum, ac legis, & voluntatis Dei, prævaricatio. Utramque Concionatores sæpe populo ob oculos ponant: ut, cum multi sint vocati, pauci electi; cumque multi ingrediuntur viam mortis; quisque amans salutis suæ fatagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, & salvare animam suam; ut per viam vitæ ad vitam æternam evadat. Cornelius hic.

Opposisti nubem tibi. Thren. 3. 44. Peccata vocantur nubes 1. quia sunt quasi atripores ascendentes ex pravo corde, quasi ex *Polygonthea Sacra. Tom. II.*

palustri terra. 2. quia solis, id est Dei, aspectum, & gratiam, adimunt. 3. quia, sicut ex nubibus grandines, tonitrua, & fulmina prodeunt; ita ex peccatis prosilit ira, & poena Dei. 4. quia sicut nubes dissepunt cælum à terra; ita peccata separant hominem à Deo, cælo, & Angelis. Cornelius hic.

S. August. l. 15. de Verb. D. secundum Matth. & S. Gregor. mor. 1. 32. c. 12. docent: *Undecim* esse Symbolum peccati: quia hic numerus Unitate transgreditur Denarium legis divini. Cornelius in Match. 18. 22.

Pannos, quibus Christus in præsepi obvolutus fuit, fuisse peccata carnis nostræ, ait S. Chrysost. hom. de Nat. S. Joan. in loca quadam S. Lucae.

Binarius, quia secundus est, & primus ab unitate recedit, peccatum significat, quò à primo bono deviatum est. Richardus à S. Viçt. tr. Exposit. 1. 2. c. 5.

§. II.

Peccatum fuge, quia illud Deus infinite odit; quod cognoscitur.

Num. 1.

Ex pænis.

Post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus &c. Gen. 7. 4. Quid in hoc (diluvio) maxime intendit Deus? hoc scilicet: ut scirent ventura sæcula; quantum ille peccatis adverteretur. Rupertus l. 9. c. 16. in Gen.

Nihil posset cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati: ipse enim propter peccatum ferè dissipavit omnia opera sua, scilicet totum Mundum per diluvium. Alij reges, & potentes, in præjudicium, odiumque suorum inimicorum, depopulant terras eorum; Deus autem dissipavit terram propriam: quia peccatum intraverat terram suam. S. Bonaventura l. diæt. sal. c. 1.

Justitia, & ira Dei, est causa omnium ferè bonorum, quæ sunt in Mundo: si enim non esset vindicta peccatorum, pauci præstarent se dignos cælo. Primum opus divinæ justitiæ, strages Angelorum; nullâ habitâ ratione multitudinis, pulchritudinis, excellentiæ; boni, quod ex eorum salute provenisset; visionis beatæ, amoris, laudis perpetuæ: malorum, quæ sciebat ex damnatione eventura, æternas blasphemias, lapsum humani generis. Poterat omnia mala ista præcavere, & omnia supra dicta bona salvare; si vel unius horæ spatium ad pœnitentiam illis concessisset. Sed tam vehemens, & velox ira fuit Dei; ut nè quidem momeatum illis concesserit. S. Hieron. l. 2. contra Jovinianum: si altissima illa

Ddd 2

publi.

sublimitas cecidit; quis cadere non possit? *Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat, & quasi cum, & nos est inventus locus ejus.* Pl. 36. 35. 36. Secundum opus punitio peccati Adami. 1. cum tota posteritate sua spoliatus fuit gratiâ divinâ, jure regni, cœlo, immortalitate, paradiso. Si ob crimen perduellionis princeps virum nobilem, & omnes ejus posteros, privaret suô favore, nobilitate, dignitate, honore, officijs; & mitteret in exilium miserabile; egestate, & multis calamitatibus conficiendos; gravis poena videretur. 2. evertit totum illum providentiæ ordinem, & gubernandi rationem; quàm ex se Mundo constituerat: longè enim alia fuisset rerum gubernatio, si peccatum non extitisset. 3. permisit Deus ob hoc peccatum totum ferè genus humanum tyrannidi diaboli. Unde factum; ut totò ferè orbe, per aliquot annorum millia, tanquam princeps Mundi cultus sit. Justum est enim; ut, à quo quis virtus est, ejus servituti subjici sinatur. 4. permisit infinitam hominum multitudinem ruere in æternum exitium. Tertium Catechismus: quò totus Mundus, exceptis octo hominibus, deletus; & unâ omnes hominum labores, opesque eversa. Magna vindicta, cum civitas aliqua opulenta funditus evertitur, ædibus incensis, & incolis, omnibus deletis. Erant homines omnibus naturæ donis ornatissimi, proceri, fortes, longævi. Maxima multitudo; ut credibile est, tunc longè plures homines extitisse, quàm hõc nostrò sæculò. Cum autem diutissimè viverent, & corpore essent firmissimò; omnesque propagationi intenti, & multi plures acciperent uxores; fiebat, ut intra trecentos, vel quadringentos annos, in multas diffunderentur myriades, & singuli magna implere possent regna. Si enim ex uno Jacob Ex. 12. 37. intra trecentos annos tot procreati fuerunt, ut exercitum sexcentorum millium virorum à viginti annis, & supra, confecerint; præter mulieres, & parvulos, quorum numerus facilè duplò major erat; cum tamen homines vix septimam partem illius prioris ætatis attingerent: quanta sæculò illò primavò per annos 1656. procreata. Deus tamen infinitam hanc multitudinem, & omnia illa ornamenta, nihili fecit. Quartum: Gen. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrhæam sulphur, & ignem de cælo.* 1. ignis sulphureus, vel ipsò aspectu terribilis, odore teterrimò, ardore maximè penetrabili. Unde Scriptura ignem Inferni sulphureum multis insinuat: Apoc. 14. 10. Il. 30. 33. Pl. 10. 7. 2. subito oppressi, cum adhuc in lectis suis, vel somno sopiti, vel impuritatibus dediti. Nam manè, sole oriente, clades illata: cum eadem nocte tota civitas, à minimo usque ad maximum, ut ait Scriptura Gen. 19. 4. ad ædes Loth congregata, nefandum crimen in hospites ejus patrare conata fuisset. Itaque valdè verisimile est; nullos, vel paucissimos, ex illis salvatos. 3. non solum adultos, viros, fœminas; sed infantes quoque, & animantia, absumpsit ignis ille. 4. incendium tam vastum, ut per 72. mil-

liaria in longum, & 19. in latum, quod ex Josepho, & alijs colligitur, se extenderit, & intra terram penetraverit; eaque profundè exstã magnum sinum, velut maris alveum, in ea effecerit: qui mox aquis confluentibus impletus, ingentem lacum constituit. Nihil in eo potest vivere; unde & mare mortuum vocatur: regio antea inflar paradisi amœnissima. Gen. 13. 10. Leonardus Lessius de perfect. div. c. 22. de div. nom.

Num. 2.

Nec templis Deus ob peccatum parcat.

A sanctuario meo incipite. Ezech. 9. 6. Deus præcipit Angelis occidere quoscunque Jerosolymis: nè quis putaret, habiturum se in divino sanctuario asylum. S. Isidorus Pelus. l. 1. ep. 73. Mirari te, dixisti qui fiat, ut Deus, qui terræ motum immitit, templis suis minimè parcat. Certam hujus rei in divinis libris declarationem habes; nam ut sanctæ arcæ minimè pepercit; verum eam unâ cum ipsis Sacerdotibus, qui deliquerant, barbaris dedit; & urbem sanctificationis in conculcationem Gentibus addixit. 1. Reg. 4. 11. ita nè nunc quidem ab omni labe puris mysterijs parcat. Ut, dum suis aulis minimè parcat; terrorem ijs, qui peccant, injiciat; atrocior videlicet poenam, ob ea, quæ agunt, expectantibus. *Ulula abies, quia cecidit cedrus.* Zach. 11. 2. 4. Reg. 25. 9. permisit Deus conflagrare templum Salomonis. Rupertus l. 6. de vict. verbi c. 25. non poterat Deus templum suum illæsum custodire - qui tres pueros custodivit, planè poterat: sed erudiendus erat Mundus; ut sciret, quòd Deus excelsus non pulchris lapidibus, aureisque parietibus templi manu facti deleberetur; sed fide, charitate, & mundis cordibus: & ille ei est optabilis locus. Mendoza in 1. Reg. 4. 11.

Num. 3.

Peccati gravitas ex persona offensa.

Debat ei decem millia talenta. Matth. 18. 24. S. Chrysof. hom. 62. in Matth. quantum centum denarij à decem millibus talentis tantum, imò verò multò plus ea, quæ in hominem peccata, distant ab his, quæ in Deum committuntur.

Et tam tremendam Majestatem audent irritare vilis pulvisculus, unò levi flata mox dispersendus, & minimè recolligendus. S. Bernardus s. 16. in Cant.

Una gutta divinæ offensæ est major omnì offensâ contra temporalem principem: quia iste momentaneus, ille verò princeps æternus. Gerson Alphabetò div. am.

Excessus est peccatum. Attende, quis Deus? quis tu? & agnosces peccati excessum. Oforius D. 2. Quadr.

§. III.

§. III.

Peccati gravitas.

Num. 1.

Ex vulneribus Christi, ejusque Passione.

Vulneratus est propter iniquitates nostras. II. 53. 5. Vide S. Bernardum l. 3. de Nat. Ex iisdem cognoscere poteris peccatorum tuorum multitudinem. Sufficiebat quidem ad totius Mundi delenda peccata minimum Christi vulnus, sicut & minima ipsius sanguinis gutta: ut quid ergo tot suscepit vulnera? nisi ut ex illis agnosceres tua contra eum innumera delicta. Nam quia à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas; sed vulnus, & livor, & plaga tumens: II. 1. 6. ideo etiam in corpore ipsius à planta pedis nihil mansit invulneratum. de Ponte in Cant. 2. Exh. 24. §. 2.

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. 1. Petri 2. 24.

Sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus; quæ etiam Christi vix cohibent passiones; quæ vix sceleratos animos à voluptatum fæce avellunt. Vulneri sanè tam putrido, & antiquarum cicatricum foetori, non inveniebatur medicamentum conveniens, nisi unguentò sanguinis hujus plaga verus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensæ sicarentur venena; quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati ejus, serpens ille seductor antiquus infuderat. S. Cyprianus de Pass. Christi.

Ex consideratione remedii periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam (malum meum) & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi; & jubetur occidi: ut vulneribus meis pretiosò sanguinis illius balsamò medeatur. Agnosce, o homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus, secundum divinæ sapientiæ ordinem, necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. S. Bernardus. l. 3. in Natali Dom.

Gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari. S. Bernardus ep. 54.

S. Laurentius Just. l. de ligno vitæ c. 4. enumerans, quæ sint illa, quæ humano cordi possint incutere timorem, ait: primò consideratio vehementissimæ Passionis Christi. Ex qualitate remedii facilè cognoscitur vehementia languoris.

Quatenus aliter salvare nos posset; voluit tamen per crucis patibulum reconciliari nos Deo: quatenus ex medicinæ difficultate pondus ægritudinis nosceretur: atque grati efficeremur de munere, quod tanti Redemptoris gratia condonasset. Id. de triumph. &c. c. 25.

Nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter Sathanam; nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem; & appenderem in statera hinc ca-

lamitatem tuam, illinc iniquitatem meam &c. Drogo Ost. de Sac. Pass.

Idcirco lignum adversus lignum, & manus adversus manum: illæ in quam, fortiter extensæ adversus incontinenter extensam. Illæ clavis affixæ, atque constrictæ, adversus remissamque solutamque: illæ, orbis fines conjungentes, adversus eam, quæ Adamum paradiso exturbavit. Idcirco sublimitas adversus lapsum, & fel adversus gustum, & spinea corona adversus perniciosum imperium, & mors adversus mortem, & resurrectio propter resurrectionem. S. Gregor. Naz. or. 21.

Quis videns Dominum gloriæ, non suis, sed nostris propriis sceleribus sic graviter vulneratum, auderet iterum Sceleris perpetrare? S. Bonaventura sim. am. p. 2. c. 5.

Quantum dilexit æternum Patrem, tantum doluit de qualibet offensa ejus: & quantum dilexit æterni Patris gloriam, tantum doluit peccati contra eum ignominiam. S. Bernardus l. 2. l. 56.

Quia homo per poenitentiam peccatum superare non potuit; nec possit, etiam si mala omnia in unum conflata pateretur: ideo infinitus Deus, per assumptam carnem, pro omnibus in cruce poenitentiam egit: ut tantus esset dolor animi, quanta fuit delectatio commissi peccati. Sim. Cass. l. 3. in Luc. 3. 8.

Num. 2.

Ex Morte Christi.

Moriatur anima mea cum Philistiim &c. Judic. 16. 30. In multis antea ostenderat odium contra eos, cum maxillâ mille viros occidit, in combustione, segetum. Sed hic nec vitæ propria pepercit. Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi, in sacrificio ostendit, quàm odere peccatum. Incertò Auth.

Mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos; consurgensque diluculo offerebat holocausta. Job. 1. 5. Quæ verba sic transferunt Sept. Origenes, Olympiodorus, *offerebat sacrificium, & victimas pro ipsis juxta numerum eorum, & vitulum unum pro peccato.* Orig. l. 1. in Job: propter vitulum illum coram filiis suis pro peccatis jugulavit; ut videntes filii ipsi, quòd pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus moreretur; meventes essent, & paventes, ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, & dilacerant. Quid fortius proponi potest ad peccati odium, & horrorem, quàm innocentissimus agnus pro nobis occisus? Sylveira in Luc. 23. q. 12.

Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. Rom. 3. 25. Christus mortuus est, non tantum pro præcedentibus, sed etiam præsentibus, & futuris. Cur ergo Paulus solum meminit præcedentium? Cornelius à Lap. jam amplius non est peccandum, post tantum amorem, & pretium nobis exhibitum. Id. ib.

Gravi damnatione iterantur crimina, postquam Christi sanguine sunt redempta. Inexcusabile

culpabile malum est, post mortem Redemptoris nostri Domini servum maculari peccatis, B. Cæsarius Arel. hom. 2. de Pascha.

Mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur. Innocentius P. III. de Sacro Alt. myst. l. 4. c. 35.

Grandis pudor est, ubi talis reconciliatio facta est; ubi inimicitias inter Deum, & homines, non sermo peccatoris, sed sanguis intercessoris, absolvit; iterum nos converti ad inimicitias; & agere ea, quæ odit ille; quem nobis, nisi effuso Sanguinis Sacri, reconciliaverat nemo. Origenes l. 4. in c. 5. ad Rom.

Hoc est terribile, hoc extremum; cum jam non corrigimur delinquentes. Id. hom. 8. in Ex.

Pro te Dei Filius jugulatus est; & iterum peccare te delebat. Id. hom. 2. in Levit.

Peccatum commissum tali remedio curandum erat, quò homines maximè à peccando deterrerentur; & si peccare contingeret, citius sublevarentur. Hoc super omnia, quæ fieri, aut excogitari, possunt, facit mors Christi. Quid enim magis peccati horrorem homini incutere potest, quàm videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem Passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum! pro quo talis ultio fit. Non mihi inundantem Mundum, flagrantes civitates, absorptos homines; non Inferni, & omnes ejus pœnas, objicias: nam si mille proponas gehennas; non sic expavescō, & contremisco; sicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte solventem. - Nihil me ita Domine deterret, nihil me sic à peccato detinet; sicut videre Filium tuum dilectissimum Unigenitum, propter peccatum clavus affixum, latronibus associatum, & crudelissimâ morte multatum. O infinitam audaciam peccatoris! qui post tale spectaculum peccare non formidat? S. Thom. Vill. tr. de Adv. Dom.

Deus in tantum peccatum odit; quòd propter peccata Mundi innocentem Unigenitum interfecit. Unde dicitur Is. 53. 8. *propter scelus populi mei percussit eum.* Et ipsemet Dei Filius, ut peccatum interficeret, *tradidit in mortem animam suam.* v. 12. S. Bonaventura diat. sal. c. 1.

Nunquam planè cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversus peccatum; nisi expiari Deus illud voluisset morte Unigeniti Filii sui. Belarminus in Pl. 84.

§. IV.

Peccati gravitas ex bonitate Dei, beneficiis,**Ex Veteri.**

O Mne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. Gen. 9. 3. Ante diluvium non legitur carnis esus permissus, sed post diluvium. Gennadius in Catena: à diluvio majori usus est liberalitate: ut sic homines afficeret, ut majores culpas vitarent.

Ecce Dominus meus &c. Gen. 29. 8. Jo-

seph bona, quæ assecutus fuerat, repente memorie intulit; & malum, quod se pulsabat, ejecit: & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminuentis fregit. S. Gregor. mor. l. 30. cap. 8.

Vivit Dominus, quia non occidetur. 1. Reg. 19. 6. Juravit Saul placatus voce Jonathæ: Beneficii memoria excussit iram. Uter majora contulit beneficia, David Sauli? an Christus nobis? David in conflictu propter Saul nec unum vulnus accepit, nec minimam Sanguinis guttam effudit. In conflictu autem, quem Salvator tuus aggressus est, quot ictus? quot verba? quot vulnera accepit? effudit totum sanguinem, mortuus est: propone ergo firmissimè illum ultra non offendere. Diez. fer. 4. D. 2. Quadr.

Filios enutrivit, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Is. 1. 2. En, quæ excandescat flammâ fulgur Dei sævientis: inter blanditias munificentia meæ peccaverunt? pereundum illis est. Clamat in Sionitas Isaias 2. 9. *nè ergo dimittas eis.* Et unde crimini spes veniæ interclusa? audi: *repleta est terra argento, & aurò.* v. 7. In auro peccavere? dispareant! tantis Dei opibus in injuriam legis abusi. An non Ahias telum, quod in Jeroboam intorsit, cote acuit munificentia Domini? 3. Reg. 14. 7. 9. 10. *quia exaltavi te de medio populi sed operatus es mala idcirco ecce ego inducam &c.* Oliva l. 1. Strom. §. ipse verò laudicabat.

Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro &c. Is. 45. 1. Cumque plura alia ejus encomia retulisset, concludit: *vocaui te nomine tuo.* v. 4. *assimilavi te, & non cognovisti.* q. d. ut explicat S. Hieron: assimilavi te mihi in nomine, quod imposui tibi; & tamen adorasti idola tua, me relicto &c. de Ponte in Cant. 1. 2. Exh. 22. §. 3.

Cum bestiis, & feris, erit habitatio tua. Dan. 4. 29. Tam levis piculi supplicium tantum? Quid levius, quam principem, ob extructam à se urbem exultasse in corde suo? nimium. Nemo liberalior Deo in sua eroganda pecunia; sed nullus ita æs suum cum usuris reposcit. Minimum sancti crimen de urbe gloriarum. Sed stipatum prophetis principem, post receptos è clibano pueros, post visum in camino Deum, post visiones, & somnia; in crimina etiam labi minima; facinus est nullâ sat expiandum pœnâ. Oliva l. 11. Strom. §. cum bestiis &c.

Ex Novo, & alijs.

Abstine à te Domine. Matth. 16. 22. Mox audit: *vade post me Sathana.* v. 23. Mira erga amantissimum Discipulum austeritas Salvatoris: cum præsertim eum paulò antè divinitatem suam professum tan copere honorârunt. Ego autem non miror, post Claves Sathanam vocatum: imò maximè ob hanc causam credo durius eum increpitum. Non enim decebat, post datam à Patre divinitatis scientiam, erumpere è Petri ore pavidum illud verbum *abstine.* Quò enim uberius mentem nostram

ros cœli perfundit, eò gravius punimur; si vel labrusca in horto cordis nostri pullulet. *Ubi abundat gratia, superabundat & delictum.* Rom. 5. 20. Oliva l. 11. Strom. §. Cum feris &c.

Unus est Pater vester. Matth. 23. 9. S. Hieron. ep. ad Demetriadem: non est hortatio vehementior, quam quâ nos Scriptura Filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat, tantò Patre agere aliquid indignum: ut, qui dicitur DEI filius, ipse efficiatur vitii servus?

§. V.

Præsentia Dei absterret à peccato.

Ex Veteri.

Ambula coram me. Gen. 17. 1. Abul. id est, sic ambula in tua conversatione morum, ac si me coram te semper videres. Et illud est præcipuum, quod hominem tollit à peccatis; scilicet continua memoria de Deo in actibus nostris. Did. Nissl. Vit. Abr. l. 6. c. 2.

Risit (Sara) occultè. Gen. 18. 12. Tancum totus intrâ abdita pectoris risus non peractus pervenerit ad oculos. Vix ita risit, quando Dominus ait: *quare risit Sara?* v. 13. Mox in risum Saræ Dominus inquisivit: qui, licet secretissimus fuerit, scientiam tamen Dei effugere non potuit. Id. ib. l. 7. c. 6.

Facies candelabrum ductile de auro mundissimo. Ex. 25. 31. *facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* v. 37. Philo Judæus ait, tabernaculum illud vetus fuisse figuram Mundi, qui quodammodo Dei domus est. Oleaster hic: ad quid Domine vis in domo tua candelabrum cum lucernis septem habere? Nè putares homo, posse malè conversari, & occultari: sive enim in die, sive in nocte, impiè egeris, ab eo videris. Id. ib.

Accipiens (Moyse) vitulum, quem fecerant, combussit; & contrivit usque ad pulverem. Ex. 32. 20. Miror, populum terrore percussum, & attonitum, Moyse voce, quasi iclu quòdam terrifici fulminis exanimatum. Unde hic pavor? Respondet Abul. q. 30. licet Deum illum diligere, quem colebant; pro quo fabricando spoliaverunt se aurò suò: tamen ad præsentiam Moyse vitulum illum conculcantis, & in eorum confusionem maximam, destruentis, nullus aliquid faciebat: quia invaserat eos timor, & tremor. Arcones in If. 3. 13. Disc. 1.

Tenebra non obscurabuntur à te, & nox sicut dies, illuminabitur. Ps. 138. 12 *sicut tenebra ejus, ita à & limen ejus.* Marcus Antonius Flaminius: neq; tenebræ habent tenebras apud te; & nox sicut dies illuminat. Similes sunt tenebræ, & lux. Psalmo eodem v. 2. *tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Flaminius: omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans, ambulans, cubans, cogito, atque ago. Did. Nissl. Vit. Abr. l. 7. c. 6.

Sume tibi laterem, & pones eum coram te. Ezech. 4. 1. Magistri facultatem Deus ostendit Ezechiel, docens, quos, ex quibus, disci-

pulos deberent constituere. *Fili hominis, sume tibi laterem &c.* Quibus verbis declaratur, opus esse, ut Magister ex luto discipulos faciat templum Dei. *Et pones eum coram te.* Sic enim discipulus repente melior sit, si in conspectu Magistri semper versetur. Assidua enim præstantium exemplorum actiones fimiles in animis non profus asperis, ac duris, imagines imprimunt. Ideo Jezi, & Judas furto ille; hic proditione, ceciderunt: quoniam ex Magistrorum oculis se subdixerunt. S. Nilus lib. Ascet.

Melius est mihi, absque opere incidere in manus vestras; quam peccare in conspectu Domini. Dan. 13. 23. Vicit generosè in lucta: non enim à scelere se cohibuit, aut metu viri, aut infamiae: nec fama meminit, nec viri; sed Dei. O verbum! nolo assentiri. Cur? an quia dedecet, matronam, suo sanguini notam inurere? an quia scelus in vulgus pessimè oblocuturum erumpet? non his abducitur rationibus à scelere. Audi: *quam peccare in conspectu Domini.* Ideo vicit: quia non humanis, sed divinis armata telis monstra represit: apud Deum se ream futuram. Discamus in lucta cum vitii hoc tantum telò uti: nempe Dei timores; rejectis humanæ prudentiæ scutis, & gladiis. Is enim non ruit, qui non arundineo humani timoris baculo, sed Deo, innititur. Oliva l. 10. Strom §. Melius est mihi &c.

Ex Novo.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13. 28. S. Chrysol. l. 97. malus nunquam non stultus. Quid hic egit inimicus? Esto, quòd dormirent servi; nunquid Dominus dormiebat? esto, quòd oculos fervorum sopor clausit post laborem; nunquid dormitantis oculos ulla vice rat lassitudo? Planum erat, quòd super rem suam magis Dominus vigilet, quam servus, & operarius: & tamen putabat, se etiam à Domino, quem reputabat absentem, non videri. S. Cyrilli. Jerof. catech. 4. de idololatriis: quidam solem ponebant; ut, occidente sole, noctis tempore linè Deò essent. Alii verò lunam; ut in die Deum non haberent. Ezech. 9. 9. *Et dixit ad me: iniquitas domus Israel, & Judas magna, & nimis valde dixerunt enim: dereliquit Dominus terram; & Dominus non videt.* Sylveira hic. q. 8.

Accepit autem omnes timor- quia propheta magnus. Luc. 7. 16. Imò erat maximus omnium, quia omnia viderat, omnia noverat. Sed utinam hoc mortales homines expavescerent, atque meditarentur, cum deliberant perperam agere. Quòd si humanos devitant oculos, illius aspectum devitare non possunt: quoniam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. Prov. 15. 3. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Quòd erat ipse venturus. Luc. 10. 1. Cur hoc additur? An Discipuli Christo absente languerent in officio, ut meminisse oporteat Magistrum affore? sic putat Cajetanus: scientes enim Discipuli, quòd sublequeretur Magister;

gister; cogeantur omni curâ inuncta exequi. Velloso in Judith 1. Paræ. 17.

Hydropicus ante eum. Luc. 14. 2. Hydropicus est omnis, qui per dissolutam vitam, & lubricam, animâ suâ graviter agrotat; qui & Christô indiget. Et sanabitur planè, si ante Christum fuerit: nam qui ante Christum fuerit, cogitans semper, quomodo ab ipso videatur, minimè peccabit. Theophylactus hic.

Peregrè profectus in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam. Luc. 15. 13. Cur in patria non sectatus delicias? cur ibi non dissipavit substantiam? natio in solo major peccandi, quàm in peregrino, occasio. S. Chrysol. f. r. quæramus, quæ res filium rapuit hos ad ausus? Respondet: cupit vivendi libertate gaudere. Sed ea paterno aspectui inerat vis, & quodammodo præpeditus cupiditatibus non posset indulgere. Naxera in Jos. 18. §. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Hac solum ratione fit, ut quis nunquam labatur; si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. Clem. Alex. l. 3. pædag. c. 5.

Quantascunq; tenebras factis tuis superstruxeris; Deus lumen est. Tertull. l. de peccat.

Hominem vereris præsentem; Dei Patris, & Filii, non vereris præsentiam? S. Ambros. in Pf. 118. l. 1.

Si peccare vis, quære, ubi te non videat; & fac quod vis. S. August. Sermon. 96. de Verb. Dom.

Ita peccatum declina, quasi celare non posses: ibi pecca, ubi Deum esse nescis. S. Isidorus. l. 2. fol. c. 11.

Difficile profectò à via justa aberrare, qui in corde suo Dei non obliviscitur. S. Basiliius Cæsar. serm. quòd Deus non est auctor malorum.

Ubi Deus, peccatum nullum: ubi peccatum, non ibi Deus. S. Chrysol. f. 44.

Aversamini vitia, colite virtutes. Magna vobis indicta est necessitas probitatis; cum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis. Boetius l. 5. de consol. profà 6.

§. VI.

Oblivio præsentia Dei est origo peccati.

Egressus Cain à facie Domini. Gen. 4. 16. Orig: qui discedit à conspectu Dei, nescit converti, & peccatum poenitendo purgare. Apud Did. Niss. Vit. Abr. l. 6. c. 2. Cum, futuro facinori viam sternens, fratrem in solitudinem trahit, secretis patrocinantibus scelus peragit, iniquissimus pariter, & stultissimus qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credit, si aspectus vitaret hominum; fratricidium Deò teste facturus. Unde puto, quòd hæc in illo jam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis est; Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre, Salvianus l. 1. de provid. Dei de Cain.

Non est Deus in conspectu ejus. Pf. 10. 5. Istius nequitia reddita est causa conveniens, quia in conspectu suo non habet Deum. O quàm profunda cæcitas, Deum ante oculos non habere. Nam si ultimum malum creditur, solis lumina non videre; nunquid apud superiores inferna patiuntur, qui auctorem sacri luminis pro sua minimè cæcitate respiciunt. Cassiodorus hic.

Egressus autem servus &c. Matth. 18. 28. Si regem præsentem, omniaque cernentem, cogitasset, tam horridum facinus non patrasset. Ideo confervum suffocat; quia se egressum à Domini præsentia putat. Escobart. 5. Parab. Chr. l. 2. Sect. 2. §. 3.

§. VII.

Peccatum solum est malum.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joan. 1. 29. S. Bernardus f. de triplici adventu: Joannes B. clamat: *Ecce Agnus Dei &c.* Non dicit, morbos corporis, non molestias carnis; sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Poterat & morbos, reliquasque miseras tollere: peccatum enim solum est malum, & comparatione illius aliud nullam, Sylveira hic. q. 8.

Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Hebr. 4. 15. q. d. passus similiter, ac nos patimur, dolores, labores, famem, sitim, pro similitudine, id est, quæ tamen omnia similitudinem habent mali: quia solum peccatum malum; reliqua solum specietenus mala. Pinna in Eccl. Ethol. 85.

Scimus, nos lædi posse à nemine, nisi deprehendamus in sceleribus, aut maleficiis: occidere potestis, lædere non itè. S. Justinus M. Apol. 2. pro Christianis ad Antoninum Pium.

Jam non novimus malum, nisi offendere Deum: nec novimus bonum, nisi promereri Deum; & perducere ad illa, quæ promittit. Quid illa bona Mundi hujus, & mala Mundi hujus. Indifferenter habeamus: quia jam suscepti ab utero matris nostræ indifferenter ea habentes dicimus: *sicut tenebra ejus, ita & lumen ejus.* Pf. 138. 12. Nec felicitas hujus sæculi nos beatos facit, nec adversitas miseros. S. August. in Pf. 138.

Nihil est, quod lædat hominem, nisi solum peccatum: eò autem sublato omnia sunt facilia, explicata, atque tranquilla: quemadmodum, si id adsit, sunt omnia scopuli, tempestates, & naufragia. S. Chrysol. in Pf. 139.

Unum, idque solum, quod inferi homini dedecus atque contumeliam, peccatum. Ut enim universus orbis te malè tractet contumeliosus; modò nè fueris tibi contumeliosus; nullà afficiere injuriâ, aut dedecore. Proditio tantum est à conscientia pendens. Cave prodas tuam conscientiam; & nemo te prodit. S. Chrysol. in Pf. 44. hom. ad Eutropium, & illud, Pf. 44. Assistit regina.

In Mundo unicum malum est peccatum, S. Chrysol. ep. 1. ad Olympiod.

Malum solum peccatum est: quia creaturæ rationali, præter peccatum, nihil nocere potest. S. Rupertus l. 12. in Joan. 16.

Nihil

Nihil malum esse dicendum est nisi peccatum solum; quod à DEO nos separans malo diabolo nos facit copulari. Joan. Cas. Collat. 6. Abb. Theodori c. 3.

§. VIII.

Peccatum summum malum, magis malò.

Homo, qui maledixerit DEO, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur Levit. 24. 15. Cur vanè assumens nomen Domini morte mulctatur, & blasphemus jubeatur tantum manere sub peccato? Cyrill. Alex. l. 14. multò gravius est accipere peccatum, & habere seum; quam morte mulctari. Mors purgatio est peccati ipsius, pro quo jubeatur inferri. Ubi verò quis accipit peccatum, & permanet cum ipso, nec aliquo supplicio diluitur; transit cum ipso etiam post mortem: & quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit æterna supplicia. Bæza t. 1. l. 3. c. 7. §. 9.

Hic est omnium bonorum vertex, & omnis spei caput, finis totius beatitudinis: nimirum ut natura non turberetur amplius à malitia; sed ut omnis iniquitas procul ablegetur. S. Gregor. Nyss. tr. in Ps. c. 8.

Pro toto universo non debet homo peccatum mortale committere, peremptivum nobilissimæ vitæ. S. Bonaventura l. 2. de ingressu ad Sapientiam,

§. IX.

Peccatum est malum majus Infernò.

Eruisti animam meam ex Inferno inferiore. Ps. 85. 13. Verè tam magna misericordia Dei est ea, quæ nos ex injustis justos facit; quam magna est gehennæ perpetuæ pœna, à qua liberamur: & quam magna est felicitas sempiterna, ad quam jus accipimus, & aditum apertum habemus. Bellarminus hic.

Mentem habenti gehennâ quoque formidolosius est, Deum offendere; & omni regnò desiderabilius, DEO placere. S. Chrysostr. hom. sup. orat. Annæ: dilatatum est os meum.

Esse multi gehennam omnium malorum supremum, atque ultimum, putant; ego tamen sic censo, sic assidue prædicabo; multò acerbius esse Christum offendere, quam gehennæ malò vexari. Hortor vos, vos atque oro, ut mecum hac in re sentire velitis. S. Chrysostr. hom. 37. in Matth. 10.

Si Christum diligereamus, quemadmodum illum diligere oportet; agnosceremus utique, gravius esse gehennâ ipsâ Christum offendere dilectum. Id. l. 7. in c. 2. ad Rom.

Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem Inferni horrorem; & necessariò uni illorum deberem immergi: prius me in Infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens, gehennam intrare; quam peccati sordibus pollutus cœlorum regna tenere. S. Anselmus lib. de similitud. c. 190.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

§. X.

Peccatum solum time, & dolo.

Ruben primogenitus meus-tu principium doloris mei ascendisti cubile patris &c Gen. 49. 3. 4. Hoc principium doloris ejus extitit: non quòd in nullo antea doluerit; sed quia verus dolor de plaga peccati primùm in domo ejus de isto accidit. Novarius Elect. sacr. l. 3.

Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Job. 6. 6. Sicut nemo mortiferum quid comedit, ut vitæ suæ ipse sit inimicus; ita ego peccatum contingere pertimescebam; ita ego ante Deum bene mihi conscius incedebar: nè velut gustu lethiferò offensio-nem mortis incurrerem. V. Beda hic.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ps. 48. 6. Una est iniquitas, quam jure timere debemus. Pueri, ut in hunc Ps. Chrysostr. ait, ea timent, quæ nullum timorem merentur; utpote larvatos homines: ea verò impavidi tractant, quæ jure deberent tertere; ut aciem gladii vel flammam ignis. Pinna. Ethol. 85.

Astitit regina. Ps. 44. 10. Qui vult, cervicem desecet; qui vult, lapidum jactu obruat me: qui volet, oderit; non sunt mihi timori adornatæ insidie. Unum est, & id solum, quod metuo; nempe peccatum. S. Chrysostr. in illud Ps. 44. astitit regina. Servo Dei nulla res debet displicere præter peccatum, S. Francis. Seraph. Exhort. ad omnes fratres.

Non est timendum, nisi quod potest, & quod expedit, vitari, id est, peccatum. Guigo confid. de tranquill. animi c. 4.

Panthera omnibus animalibus est amica, soli draconi inimica. Sic omnis homo fit tibi amicus, soli peccato sis inimicus. Geminiani l. 5. c. 41.

§. XI.

Peccatum præ pœna time, & dolo. Ex Veteri.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. 9. Melius est mihi absque opere incidere, in manus vestras quam peccare in conspectu Domini. Dan. 13. 23. Unum in Ægypto Josephum, & unam Babylone Susannam, spectamus, quos à flagitio sola Numinis reverentia abduxit. Hic Christus non diceret: *noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Joan. 5. 14. nam terribiliora pati statuunt, quam peccare. Oliva fer. 6. D. 1. Quadr.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 13. dixit David ad Nathan. Non ita Cain, quem pœnæ impendentis, non à se patris sceleris, tædebat. Gen. 4. 14. ecce ejicis me hodie à facie tua. Sicarium in se lavitatum timet; & sicarium fratris fuisse non horruit. Nisi timeret occidi, non pœniteret occidisse. Id. ib.

Miserere mei Deus! Ps. 50. 1. Non curat pœnas effugere, sed recuperare innocentiam. Nusquam non mundari peccatur: *amplius lavame: asperges me: lavabis me: dele iniquitatem meam: cor mundum crea in me*
Ecc
Deus.

Deus. Oliva l. 9. Strom. §. miserere mei Deus.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Pf. 37. 18. S. Gregor. M. in Pf. 2. poenit. malo enim occidi, quam vinci; flagella libenter patior, persecutiones amplexor, visitationes delidero, correptiones concupisco.

Venite adoremus quia ipse est Dominus Deus noster. Pf. 94. 4. 6. Lacrymarum vides hic multum nullò torculari expressum, solò Divinitatis respectu destillare. Paloremus, inquit; non quia fulminat; sed quia Dominus, quem laemus, ipse est DEUS. Quod non, cecinisse tantum, Davidem gratulor, sed & praestitisse: nam coedis, & adulterii à Nathan admonitus doluit, horruitque, flagitii foeditate non atrocitate supplicii. Ol. fer. 6. D. 1. Quadr.

Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Pf. 118. 120. Si timuisti, quid timere petis? nimirum timori timor praesulit: timor enim iudiciorum timor poenarum est, non timor DEL. Ergo tuò timore confige me, quem jam transiit iudicii tui timor. Te cupio timere, non poenas tuas: timor ille durus est, & ossibus debetur; ille verò, quem sitio, delicatus est, & haret in carne. Oliva tr. 2. Strom. §. Confige.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Pf. 118. 136. unde tantus fletus? an quia à regno, & patria, exulabat? an quia Saulis tyrannidi subiacebat? an quia persecutus eum filius? absit, sed quia non custodierunt legem suam. ubi S. Ambros. l. 17. à sancto viro plus culpa, quam arumna, defletur. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8. Non dixit, quia affligor, quia flagellor, quia maledicor, & opprobriò deficior; sed quia non custodivi legem tuam: quandoquidem à sanctis viris plus culpa, quam arumna, plangitur. S. Paschasius in Thren. 3.

Vae mihi, quia vir pollutus labiis ego sum. M. 6. 5. Tabeſcit, & tristatur, solò horrore peccati; visò, non telò, sed Deo.

Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et quidem uri calculò sine gemitu, tulit; sed oris contagium sine epulatu pati non potuit; Intuenti Deum, si vitii sui sanies prolietore, cruceque, non est; aut lippit, aut penitus coecuit. Oliva fer. 6. D. 1. Quadr.

Vae nobis, quia peccavimus: propterea maſtum factum est cor nostrum. Thren. 5. 16. Dixerat antea: *hereditas nostra versa est ad alienos.* v. 2. nihil autem horum dixit *vae nobis*; nisi ad peccavimus. Diez. eonei 2. D. 4. Epiph.

Ex Novo.

Lacrymis cepit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Cum multa sint lacrymarum genera, istae illius tenuerunt optimam partem. Sunt enim aliquae prodeuntes ex poenali miseria; & quaedam proveniunt ex miseria culpabili, & iniqua; & utiliores, imò necessariae sunt. In his hac mulier exordium fecerat. Sunt, quae effundentem non respiciunt, eò quod sit poenà mulcendus ex crimine; sed tantum quia offensus est Deus. Sim. Cals. l. 9. c. 29.

Quanti mercenarii &c. Luc. 15. 17. Sprevit glandes appetitu filiginis: verum, ut patrem vidit, mercenarii oblitus, & annonae: unò sceleris squalore tabuit. Puduit illum non nuditatis, & famis, sed criminis. *Pater peccavi in caelum!* Cur accessisti è regione longinqua? quia peccavi: cur patri adolveris? quia peccavi: quid ab eo flagitas pro te? quia peccavi, totius veniam peccati. Oliva fer. 6. Dom. 1. Quadr.

Tristitia vestra &c. Joan. 16. 20. Displicere sibi patienti ex poena, proprium est omnium sensibilem, etiam ratione carentium: displicere sibi ex culpa, tantum est verè ratione utentium; maxime verò omnium virorum Fidelium ac per hanc incunctanter tristitia de peccato, non de supplicio, vertetur in gaudium. Sim. Cals. l. 6. c. 33.

Alii quidem omnes ob terrae motum timore correpti erant; ego verò propter causam terrae motus. Causa enim terrae motus est ira Dei: porro causa divinae irae nostra sunt peccata. Noli unquam supplicium timere, ed supplicii parentem peccatum. Quandoquidem & in morbis, ac vulneribus, non eos lugemus, qui curantur; sed qui insanabili morbo laborant. Quod est morbus, & vulnus; hoc est etiam peccatum: quod est seclio, & medicamentum; hoc est etiam poena. S. Chrysoſt. tom. 6. tr. in terrae motum.

Philippo II. Hisp. regi. Jobum morbis juxta, ac patientiam, referenti, cum genu novaculà chirurgus dissecuisset; ejusque filius ex eo percunctaretur; numquid ab eo vulnere graviter doleret? respondit: multò magis mihi dolent peccata mea. Doultreman l. 4. de am. c. 4. Sect. 10.

§. XII.

Magis poenam, quam peccatum, timentes.

Ex Veteri.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui; eò quòd nudus essem. Gen. 3. 10. Rupertus l. 3. in Gen. non dixit, timui, eò quòd præceptum prævaricatus essem; sed quòd, quòd nudus essem. Perversus timor, qui non facti sui gerit poenitudinem; sed solùm poenae suae fatetur habere confusionem. Sylveira in Marth. 10. 9. 10.

Ecce ejicis me hodie à facie terra &c. Gen. 4. 14. Quid deprehensus incultus hic timet agricola? hoc timet; nè agricolari sibi non liceat; nè terram, quam solam amat, vel praesentem vitam, pro admisso facinore perdat, Rupertus l. 4. c. 7. in Gen.

Clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui praesunt operibus. Ex. 3. 7. Israelitae non Aegyptum pertasi clamaverunt ad Dominum; sed virgas, & compedes, horruerunt; & si non eos Pharaò caecidisset, libentius sub eo, quam sub Moyse, militassent. Rarò scelus displicet, nisi strangulet. Filius Jacob sceleris tunc tantum tædunt, cum ob scelus

his in gravibus angustiis. Gen. 42. 21. Oliva l. 4. Strom. §. Eripe me.

Virga versa est in colubrum. Exod. 4. 3. Credo, ideo non in sidus mutatam Moysis virgam, cum regno suae gentis destinaretur; sed in serpentem. Ut sciret legislator, non blanditiis coeli, nec Numinis amore, abducendum vulgus à peccato; sed metu solum supplicii: cui non sat irrogando esset virga, nisi effertur in anguem. Oliva fer. 6. D. 1.

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui percutiat te Dominus egestate, febris &c. Deut. 28. 15. 22. Quam integritatem vitae vox imperantis Numinis non impetraret, eam minà febrium extorquebit. Dabitur tertiana, quod Trinitati non daretur. Id. 16.

Luxitq; populus. 1. Reg. 6. 19. Cur luxit? an ob sacrilegia? an ob arca injurias? an ob alia peccata? *ed quod Dominus percussisset plebem clade magna.* Mendoza hic.

Illos vestros tollet &c. 1. Reg. 8. 11. Tumescens in solum oceani impetus fabulò melius, quàm margaritis, coralloque compesces. Nolim eis speretum Numen, sed regem savitutum, nunties. Oliva fer. 6. D. 1.

Quare non audisti vocem Domini? &c. 1. Reg. 15. 19. quibus ille tanquam rupes, nihil motus. Quid Samuel? poenam minatur: *pro eo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex;* v. 23. & illicò perterritus, *peccavi,* inquit, *quia pravaricatus sum sermonem Domini.* v. 24. Ubi Lyranus: timuit Saul, ne Samuel ad electionem alterius regis procederet, & sic ipse regnum perderet; idè fide se humiliavit. Et paulò inferius: hoc dixit Saul magis timore poenae, quàm amore iustitiae. Mendoza in 1. Reg. 2. veniam, non culpam reformidant peccatores.

Evagina gladium tuum, & percute me. 1. Reg. 31. 4. Saul, cum irruisset super gladium suum, queri coepit cum Amalecitis: non quòd parricida sui moreretur, sed quòd dolores non evaderet, & probis hostium pateret. Timuit præda hostium fieri; non timuit fieri carnifex sui. Oliva l. 9. Strom. §. Illic trepidaverunt.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 12. 13. Davidi cum proponitur culpa, & poena; solum de culpa dolet. S. Aug. tr. 49. in Joan. mortem carnis omnis homo timet, mortem animae pauci: pro morte carnis, quæ sine dubiò ventura est, curant omnes, ne veniat: non laborant, ne peccet homo aeternum moriturus, Sylveria in Matth. 26.

Ex novo.

Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite quia discipuli ejus nocte venerunt &c. Matth. 28. 12. 13. Milites cum renuntiassent, Christum resurrexisse, mox Pharisæi tremuerunt: non quòd hoc accidisset; sed ne vulgaretur. Redivivum timere debuerant, ne illos perderet: atqui de hoc non solliciti, toti in eo sunt, ne Domini resurrectio credatur. Oliva l. 9. Strom. §. Illic trepidaverunt.

Polyanth. Sacra. Tom. II.

Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt &c. Matth. 28. 12. 13. Milites cum renuntiassent, Christum resurrexisse, mox Pharisæi tremuerunt: non quòd hoc accidisset; sed ne vulgaretur. Redivivum timere debuerant, ne illos perderet: atqui de hoc non solliciti, toti in eo sunt, ne Domini resurrectio credatur. Oliva l. 9. Strom. §. Illic trepidaverunt.

Miserere mei. Luc. 16. 24. Cum damnati in vitis sint oblinati, nec unquam poenitent; quomodo hi petunt, & cupiunt, misereri? Dicendum: quòd de peccatis suis non poenitent, in quantum sunt Dei offensiva, turpia, & injusta; sed ut sunt eis causa tanti supplicii. Sed & dives iste petiit misereri sibi; quantum ad poenae mitigationem; non quoad culpæ ablationem. Dion. Carthus. hic.

Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. 14. Nec propter Deum abstinemus peccato, nec propter Deum poenitet peccati. Euphrates Babylonem limosus alluens aggeribus coëretur, non è lauro, aut olea, sed taxò, non smaragdus, paralyti, lepræque, cohibetur à scelere nuper incolumitati ager restitutus: quem Christus, non amore, ac reverentiâ, Numinis; non amore mercedis, sed majoris mali minis, stabilivit in Legge. Jumentis, ut video, comparatus est homo; quem tantum camò, frænoque, circumagas. Oliva fer. 6. D. 1.

Precamini vos pro me. Act. 8. 24. Hæc dixit, non amore iustitiae, sed timore; ne morte periret, sicut Ananias, & Saphira, Act. 5. 5. 10. Et postulat, *precamini pro me:* non ut culpa mihi remittatur; sed ut nihil harum poenarum, quas dixistis, super me veniat. Sylveira hic.

Age poenitentiam, sin autem movebo cancellabrum tuum. Apoc. 2. 5. Et Episcopis hoc fræno opus est. Horret animus tantâ indolis nostræ ignobilitate. Christus ergo, ut nos officii nostri moneat, non sua nobis vulnera objicit, quibus confossus vitam peperit morituris; sed nostras nobis ostendet plagas; quibus subdemur, nisi nos flagitii poeniteat. Oliva fer. 6. D. 1. Quadr.

§. XIII.

Ex peccato uno ruitur aliud.

Ex Veteri.

Ratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Gen. 4. 5. Dioscorides de veneno scribit: quòd, cum quis à serpente morderetur, statim sequantur ista: vulnus repletur pure & sanie; os, & lingua, fit tota sicca, oculi caligant, auditus debilitatur, sequitur capitis dolor, tandem incidit homo in febres, quæ eum ratione privant. Apud Mathiolum l. 6. c. 47. Hæc sequuntur etiam ex peccato, Cain primò invidit, deinde odium, ex odio homicidium, ex homicidio desperatio. Incert. auth.

Venite, occidamus eum. Gen. 37. 20. Non
Ecc 2 omnium

omnium consilium hoc fuit. Sathanus hæc verba tribuit Simeoni, & Levi. Cur hi de nece fratris cogitant? magnam eadem perpetrarunt in Sichem; ex aliorum occisione pejus lapsi. Sylveria in Apoc. 9. 18.

Nullum saturitatis dedere vestigium, sed famili macie, & squalore torpebant. Gen.

41. 21. Quia vitia nunquam saturantur, sed semper sui famem patiuntur. Hugo Card. hic. *Comedent; & non saturabuntur.* Os. 4. 10. Huic ratio est, quia venter eorum, id est, Infernus, impleri non potest. Id. ib.

Hi sunt dii tui Israel. Exo. 32. 4. Cum unus esset vitulus, cur ait: *hi sunt dii tui?* Quia hoc est peccantium ingenium, ut nunquam unum idolum colant; sed uno adorato, multa colant, & pluribus vitiis subiaceant. Ita observat Chrysol. hom. 5. de poenit. Pinna Ethol. 200.

Quia non obedisti voci Domini &c. 1. Reg. 28. 18. Dixit apparens post mortem Sauli, annuntians ei cladem, & everisionem totius familiae. Mirabile est; quod cum plura alia, & atrocia, & majora hoc peccato, admisisset (nam 1. Reg. 22. 18. Osluaginta quinque Sacerdotes iussit occidi; urbem Sacerdotalem innocentem Nobe combussit) solius hujus inobedientiae meminisset Samuel? Causa erat: quia ob illam primam inobedientiam meruit, ut cum Deus è manu sua dimitteret: hæcque fuit omnium reliquorum malorum causa. Time primum mortale peccatum: quia hoc aliis januam aperit, Diez. conc. 2. in festo nat. B. V.

Pluet super peccatores laqueos. Pl. 10. 7. id est, sinet eos quotidie involvi pluribus, & majoribus, peccatis; percutiendo eos cæcitate, & tradendo eos in reprobum sensum: quæ est poena horrenda, & gravissima. Bellarminus hic.

A cinilla una augetur ignis. Eccli. 11. 34. Sic peccatum, nisi initio extinguitur, majores indes vires sumit. Pinna Ethol. 200.

Ex Novo.

Sic jicies nos hinc, mitte nos in greges porcorum. Matth. 8. 31. Cum plura demonia ab obsessis corporibus depulerit Dominus, nulla tamen unquam, præter hæc, mitti in porcos rogârunt. Causam petit S. Chrysol. s. 16. ex verbis Evangelistæ: *de monumentis exeuntes.* Scilicet demones: hi inter putrida cadavera morabantur. Assueti ergo putredini cœnum adamabant: unde potius mitti in porcos, quàm in alia munda animalia, petebant: facile enim ab uno fetore, & cœno, in similia pertrahuntur. Sic peccato uni assueti facile in alia labuntur. Pinna Ethol. 45.

Et iterum negavit cum juramento. Matt. 26. 72. S. Gregor. peccatum, quod poenitentia non deletur, mox suo pondere in aliud trahit. Tum quia conscientiam deprimit, & debilitat; tum quia peccator, videns se peccasse, jam cogitat, se lapsum esse; ac parvi referre, si rursus in idem peccatum labatur. Sicut, qui lapsus est in lutum; parum curat, si se-

cundò labatur: sic vel maxime fornicarii dicunt, labamur iterum, & voluptate eadem fruamur; quia eadem confessione simul omnia abolebimus. Sed errant; tum quia secundum peccatum nova est DEI offensâ; novumque vulnus priore nocentis animæ infligit; tum quia difficilior est poenitentia, post iteratum peccatum Cornelius hic.

Interrogavit illum Jesus: quod tibi nomen? at ille dixit: lego. Luc. 8. 30. Unum dæmonium interrogat Christus: quia cum dæmon ingreditur, aliis viam pandit. Pinna Ethol. 200.

Cogitaverunt ut & Lazarum interficerent. Joan. 12. 10. adjiciunt peccata peccatis; & student seridè, ut omnem iniquitatem perficiant. Nec est eis satis ad crimen, injultè justum damnasse; nisi & injustum amicum, & amicandi aliis causam, aboleant. Sim. Cas. l. 11. c. 46.

Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. 2. Tim. 3. 6. Taxat hic leones, qui mulierculas ad malum trahunt. Sed quas trahunt, & seducunt? *oneratas peccatis*, id est, eas, quæ prius peccarunt: facile enim ex uno ad plura trahuntur. Pinna Ethol. 200.

Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Peccatum, quod poenitentiae lamentò non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur, S. Gregor. hom. 11. in c. 3. Ezech.

Sæpe peccatum alterius peccati causa est, quod committitur; cum aliud ex ipso, quasi sua soboles oritur. S. Isidorus l. 2. sent. c. 19.

Peccator, postquam in prima delicta incidit, ceu fune, primò peccato reliquas consequenter iniquitates atrahit. S. Asterius Ep. serm. in Dan. & Susann.

Unum peccatum potest esse causa alterius indirectè, & directè. Directè quidem, in quantum ex uno peccato inclinatur in aliud: indirectè; quia meretur exclusionem gratiæ, quæ subtracta ruit homo in aliud peccatum. S. Thom. Lect. 7. in c. 1. Rom.

Vix invenitur peccatum, quod aliud annexum non habeat: colligatæ sibi namque sunt squammæ Behemoth. una uni conjungitur, & spiraculum vitæ non incedit per eas. Petrus Blesens. lib. de Confess. Sacram.

Sicut lapis, projectus in flumen, facit circumulum; ille alium, & iterum alium, format; dum ad terram, vel scopulum, allidat: sic peccatum unum vocat aliud; & ita consequenter, donec ad terram, sepulchrum, per mortem allidatur, Stella de cont. &c. p. 2. c. 70.

§. XIV.

*A peccatis minoribus ruitur in
majora.*

Num. 1.

*Symbola, & similitudines.**Ex Veteri.**Vende mihi primogenitā tuā.* Gen. 25. 31.

S. Thomas: potest dici, quod Jacob ab initio non serid, sed quasi jocō, vel modō tentativō, dixerit; sic tamen; quod occultō intin-
ctu DEI ad hoc dicendum fuerit impulsus, Sed quid ex illo joco secutum? *juravit ei Esau, & vendidit primogenitā.* v. 33. Galenus lib. de theriaca, pestis, tanquam & ipsa existat quādam bellua, haud paucos interimit; verum civitates quōque depascens malē conficit: parva quādam, & prava, ad corruptionem prompta, mutatio efficitur; & homines, cūm respirationis periculum evitare nequeant, spūm aerem, veluti venenum quoddam ad se per os, attrahunt. S. Dorotheus f. 3. ut pernoscatis, quod ex minimis his, & naturā vilibus, ad magna, & prægrandia, contemnenda perfacile dilabimur; cūm cōeperit quispiam dicere, quid refert, si verbum hoc dixerō? quid refert, si in rem hanc intenderō? Ex hoc enim, quid est hoc? & quid est illud? quid refert hoc, quid refert illud? mala, ac perverfa, & amara, consuetudo admittitur, & imbibitur; & datur initium, ut magna, & graviora contemnamus. Did. Nifs. Pol. Cael. p. 2. l. 8. c. 5.

Scyphum meum argenteum pone in sacco junioris. Gen. 44. 2. Rupertus: hoc calicis ad speciem furtum indubiam asserit prophetiam, quod Hebraei in exitu, aurō, & argentō, Ægyptios essent spoliaturi. Cūm aliquid Hebraei concessit, reliqua Ægyptiorum bona habituros non dubiā prophetiā ostendit. O quoties cupiditati parum permittis; & illō modicō accensa vivacius omnes virtutes miserabili incendio adurit. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Mi Domine Deus! quid dicam? Eccl. Jos. 7. 8. Paucis Israelitis ab Hajesibus caesis, timet Josue. Vidit reges à populo everfos; Jericho voce tantūm expugnatam: & modō, quia in paucos suorum hostes prævalent, se, populūq; penitus delendum lamentatur? Meruit prudenter, cūm aliquid hostibus vitorum imaginibus in Israelitas nonnullos licuisse intuetur, stragem omnium: quia scit, vitia in reliqua frequenter extendere, si jus in aliqua semel obtineant. Id. ib.

Agros quōq; vestros, & vineas-tollet. 1. Reg. 8. 14. &c. Hei mihi! etiam animi solidissimi obnoxii affectionibus; & ubi minūm putatur, emolliuntur ad res capiendas, quibus evertuntur! Et quidem ferrum ab uno solūm magnete domatur, à nullo alio; aurum, & gemmas, spernit; sed homines, cūm uni vitio cesserint, statim incidunt in multorum tyrannidem facili transitu ab uno vitio in aliud. Id significavit Samuel; cūm ambitiosis Judais, & principibus tribuum, prædixit onera iis imponenda à regibus, quos tantoperè cupiebant: decimas ovium dabitur regi. Quā re

cūm vulgus non moveretur, putantes regem raptis pecudibus conquieturum; adjunxit Samuel: post amenta rapier vestra corpora, vōsque eritis ei servi. Coronam danti libertas tollitur. Hæ rapinæ funesta sunt Symbola animi debellati: qui, ut incipit à deformitate tolerabili, itā mox prorumpit in atrociter humanitatis expertes. Oliva tr. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel. 1. Reg. 24. 21. Cur modō regnaturum agnoscit, quem, nè imperaret, pertinaciter insectabatur? Videt manum purpuræ regie particulā coronatam; & in reliquam vestem jus jam habere præsentit: nam si hosti aliquid est permillum; in reliquum audet, & jura extendit. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. 3. Reg. 18. 44. Mox v. 45. Cæli contenebrati sunt; & nubes, & ventus; & facta est pluvia grandis. Joan. Clun. tom. 3. l. 43. en mirum! quod ferè in Mundo peccatoribus accidit. Pactus Latinos in panegyrico Theodosij: ò quā parvis veniunt summa mala principis. Did. Nifs. Pol. Cael. p. 2. l. 8. c. 5.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Pf. 90. 13. S. Gregor. Naz. hom. 5. in Cant. similiter conculcantur leo, & draco, qui eminent atque serpens, & scorpius, qui videntur inferiores: in omnes ex æquo plantam immitit; hæc & fugans, & ab his ad alia transiliens.

Dies mei sicut umbra declinaverunt. Pf. 101. 12. Viam justorum componit cura horis matutinis; viam verò peccatorum cura vespertinis. Manè lux crescit; hæc via est justorum, semper in melius proficit: & via impiorum, ut vesper, in luce decrefcit & majores sensim fiunt umbræ. Talis enim natura peccati est, ut nunquam quiescat; sed paulatim in densissimas noctis tenebras perducatur. Pinna Ethol. 45.

Et comedit omne fœnum in terra eorum; & comedit omnem fructum terra eorum. Pf. 104. 35. Hæc in Ægypto fecit bruchus: parvum animal, & ab olere vastitatem inchoat. Sed cave: nam qui comedit fœnum, hōc saginatus; comedit omnem fructum campi tui. Iracundia, quæ in te ebullit, bruchus est: initio contenta est fœno. Satis est illi, ut hosti non blandiaris, ut eum non invisas, ut singularia ei beneficia non praestes; periisti. Bruchus tuus, qui fœnum comedit, comedit fructus: cogaris de eo malè loqui, de quo nunc tantūm non bene loqueris: cogaris hostiliter insequi, quem tantūm non singulariter amas. Quod de ira dixi, dic de quōvis alio vitio, paulatim à minimis ad summa progrediente. Oliva t. 2. Serom. §. Et comedit.

Va., qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrī peccatum. Il. 5. 18. ordinem observa: à funiculis ad vinculum plaustrī. Novarinus El. sac. l. 3. signac. spir.

Filii Sion incliti, & amici auro primò: quomodo reputati sunt in vasa testea. Thr. 4. 2. Nemo ex nobis est, quin puer expertus sit, quàm diligens novæ vestis cultos fuerit: non audebamus eam admovere rubo, nè laceraretur; vel pici, nè inficeretur. Quæ vestis quòvis modò inquinata si esset, aut detrita, mox peribat illius cura; nullò metu in luto fiximus pedem: inter spinas ingressi; ad aquam per ludum inspersimus. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Ex Novo.

Qui viderit mulierem ad concupiscendum &c. Matth. 5. 28. Semel quidem, & secundò, & tertio, sic videns, possit fortasse animum continere. Si verò frequenter id feceris, fornacem illam sponte succendens, profectò capieris: neque enim extra naturam, aleamque humanam, consistis. S. Chrysoft. hom. 17. in Matth.

Videns ventum validum timuit, & cum cepisset mergi, clamavit. Matth. 14. 30. Non expectat implorare auxilium, donec aqua humeros superante, versetur in proximo mortis periculo; sed fluctibus paulò validiùs agitatis, ubi primum pedes mergi incipiunt, talis nondum totis immersis, invocat Christum; & mox sentit opem. *Continuò Jesus extendens manum apprehendit.* Certè timetur prudentissimè extrema submersio animæ ex prima concussione, ab immodicis affectionibus. Oliva tr. 3. conc. 14. die festi S. Thomæ.

Erunt signa in sole, luna, & stellis. Luc. 21. 27. Mirabile est; sole tantum obscuratò lunam lumine deslitui; ac stellas cœlò cadere. Nimirum vitium semper in deterius crescit; quòque magis à fonte recedit eò magis in pervertitate inualefcit. Musca quidem initio est; antequam verò ad finem pervenerit, elephantem superabit: qui que in exortu gutta erat, in oceanum tandem excrefcit. Quod initio non nisi instar vermiculi erat, in crocodilum tandem evadit. Philosophorum axioma: parvus error in principio, maximus est in fine. Bessæus D. 1. adv.

Vis sanus fieri? Joan. 5. 6. Humanum genus, cum primum à cultu Dei defecit, heroibus divinitatem attribuit: nec alii in altaribus positi sunt, præter viros de Republica optimè meritos. Deinde, victimas immolârunt mortuis, qui chari fuerunt; licet nullâ gloriâ, aut re gestâ, claris. Non multò post invocârunt aquilas, & falcones: à quibus transgressi ad bubones, & noctuas. Post hæc tauri, & arietes, in deos admissi sunt. Tandem serpens, lacertus, araneus, ad cultum lecti. A Romano senatu divinus honor febrî, pesti, decreto. s. Rom. 1. 23. *mutaverunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis & volucrum; & quadrupedum, & reptilium.* Ad eò in ima devolvimur quando ab optimo deflectimus in mediocrem; & à divino ad humanum. Primum adoratur Phoenix, dein vespertilio: à rhinocerote fit ad simiam transitus;

à dracorum cultu ad scorpiones honorandos. Oliva t. 2. conc. 8. die ven. post D. 1. Quadr.

Nisi videro in manibus ejus tauram clavorum, & mittam digitum, & mittam manum. Joan. 20. 27. Parva sunt nobis initia, finis immodicus est: ab aspectu transit ad tactum digiti, à digito ad totam manum. Ità infidelitatis tragœdia, cujus prològi, ut putantur, amici, & tolerabiles; præcipitantur in extremo actu in horridas defectiones &c. Oliva antè citatus.

Ex Variis.

Si velimus passionum vires experiri, eveniet idem, quod Jordani, de quo Hegelippus l. 3. 15. plurima circumnavigatus deserta, Asphaltide suscipitur lacu, atq; in eum conditur: itaq; duos victor egressus in tertio hæret. Jordanis ex Libano inter candidas nives, & odoras frondes, oritur; & ad montis radices in speciosum amnem intumescens, vehitur inter oras fugiferas Samariæ, & Palæstinæ: post aliquod spatium infertur in lacum Semeconitum: eumq; tantò impetu pervadit; ut prætergressus, illibatâ undâ, atq; perspicuâ, ex eò exeat, qualis intraverat. Pergit deinde in suo cursu per multa milliaria; donec ad caput Genezareni lacus perveniat; & hunc subit superiore multò ampliorem: victor tamen erumpens omnem aquam, quam infuderat, recipit. Ob has victorias relatas, quasi omnis periculi securus, decurrit ad mare mortuum: & non dubius, quin eandem habeat felicitatem, quam in aliis millionibus expertus; in finem illum irruit totus: è quo nusquam emittitur, sepultus in vasta ista voragine; in qua jacent obrutæ infames illæ urbes cœlesti igne consumptæ. Hæc eveniunt audenti ingredi cum perniciosi cupiditatibus: vincuntur aliquoties, sed tandem vincunt &c. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Qui intendit findere lignum prægrande, prius ponit in illa fissura, quam facit, cuneum parvum; & ille locum aperit ad alium majorem: & sic lignum paulatim finditur, donec omnino per medium separetur. Sic diabolus omni studio contendit; ut peccata venialia, tanquam cunei in animam ingrediantur, quò paulatim ipsa pervertatur, & tandem per mortale peccatum confringatur. Diez Peccatum veniale.

A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia; à ranis civitatem in Gallia pullam, à locustis in Africa. Plinius l. 8. c. 29. refert.

Serpentes ex capillis muliebribus, & jubiis equinis, exoriuntur. Nierembergii hist. nat. l. 1. c. 16.

Num. 2.

Peccatum simile somno: & continuatio materiæ.

Si dederò somnum oculis meis &c. Pf. 131. 4. S. August. hic: sunt quidam, qui non dormiunt, sed dormitant: aliquantulum se retrahunt ab amore temporalium, & rursus revolvuntur in eum; quasi dormitantes sæpe caput inclinant. Evigila, somnum excute: dormitando casurus es. Non vult Psalmus, oculis suis dare somnum, nec palpebris suis dormitionem, eum, qui vult invenire locum Domino. Expende illud

illud: dormitando casurus es. *Si dedero*, id est, non dabo; nec somnum, nec dormitionem: abstinebo & a tempore, ac negligentia: quia, si dormitavero, dormitiam. Sylveira in Ap. 3. q. 39. Nonne fat, negasse somnum oculis, ut vigiles? cur nec daturus *requiem temporibus*? si requies temporibus datur, per subiectum cervical in oculos somnus obrepet. Docet; hostem longius ascendendum esse: si enim quies concedatur temporibus, quiescent & oculi. Coerce oculos, ne cor pereat: *sepi aures spinis*. Ec. Oliva l. 12. Strom. §. Si dedero &c.

Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt. Matth. 25. 5. De crimine lethali particulam, *dormierunt*, Doctores exponunt. *Ly dormitaverunt*, de veniali: quia dormitatio proxima est ad dormitionem dispositio. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 5. Sect. 1. Obs. 4. Cajetan. dormitando incurrerunt dormitionem; expectantes sponsum.

Si non dormitassent, non dormivissent, Castillo Illat. 85. Dormire, mori est: ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languere. S. Gregor. hom. 22. in Evang.

Num 3.

Exempla ex Veteri.

Vidit Eva, Gen. 3. 6. Concupivit, comedit. Bernardus apud Godefridum ad c. 3. Gen. 6. Eva! quid tam intentè tuam mortem intueris? quid spectare libet, quod manducare non licet? oculos quidem intendo, non manum; non est interdictum, ne videam, sed ne comedam. Apud Castillo Illat. 85.

Cumque vidisset Sara filium Agar Egyptia ludentem cum Isaac filio suo Ec. Gen. 21. 9. Lulus ille, ut ait Lyr. Tostatus, Oleast. non erat alius, quam quòd Ismaël fingebat è luto parvula idola; ut parvulus Isaac ea venerari diceret. Quod tunc quidem per ludum fiebat; sed posthac ferò fieri poterat, cum ambo adolevissent: quare Sara citum attulit remedium. Did. Niss. Vit. Abr. l. 10. c. 8.

Fratres Joseph, ad moliendam ei necem, non raptim, sed suis gradibus, processere. Gen. 37. 4. 8. 11. 18. Liventes primum, dein alieni, mutique, tandem rabidi de infligenda nece, consultarunt. Infans iniquitas mori potest; adulta vix potest; matura omnino mori non potest. Flumen flagitium est, crescit eundo; & cum illud desuisse putas, mare est. Oliva fer. 6. D. 2. Quadr.

Absolon occiso fratre 2. Reg. 13. 29. parricidium molitur. Cain Gen. 4. 8. 13. occiso fratre in desperationem incidit. Hebræa plebs, dum largius cibus, & poculis, indulget, idola colit. Ex. 32. 6. Judas, dum avaritiæ studet, magistrum vendit. Petrus ex uno lapsu negationis in tertium cadit. Pinna Ethol. 45.

Pepigi sardus cum oculis meis Ec. Job. 31. 1. Glossa hic: Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudi-

nem necessitas, necessitatem, desperatio, desperationem damnatio.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 19. 1. Si enim parva curam negligimus; insensibiliter seducti audentes etiam majora perperamus. S. Gregor. mor. l. 10. c. 10.

Nabuchodonosori ambitionis ejus vastitas objectu simulachri ostensa. Dan. 2. 31. deinde arboris ramosa, & proceræ designata rapacitas, Dan. 4. 8. Fingitur statua, nec crescere potest; & lapide stermitur. Arbor suo cresci lucos; extendit ramos, & frondes; securibus excindenda. Cum primum peccamus, quasi statua aliâ manu fingimur, multumque hominis retinemus: nec squiemus penitus; & quasi inviti, & coacti, peccamus; nec multo conatu crimen evertitur. Sed si secundo à recto aberraris, non jam statua, sed arbor eris: nec tantum tuò vives succo, sed iniquis dux eris, & horreum. Haud verò lapillo dissolvèris; sed vel impactis ifecribus vix concides: tandem cum feris erit diversorium tuum. Quæ omnia & Assyrio regi contigerunt audacis prævaricanti: & tibi evenient; nisi currentis in deteriora sceleris cursum fistas. Oliva fer. 6. D. 2. Quadr.

Ex Novo.

Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. 3. Non percipio, quomodo vaser hostis, cupiens maculâ gulæ jejunii gloriam contaminare, non petierit, ut lapides in perdices, & phasianos, mutaret? S. Gregor. Naz. or. 40. si hoc evicerit, nequam hic consistet; ad omnia grassatur: hæc est illius pugnandi ratio, si vicerit. Non vicit tentator; nihilominus duxit ad pinnas, ad persuadendum præcipitium. Regna terræ ostendit, ut eorum cupiditatem in eo excitaret. Et eo desinebat panis; ut dæmonem adoraret Christus. Cogitari potest saltus magis lethifer, aut transibus minus prævisus? dum à re conveniente magis, quam vitiosâ sperarit Sathan, eum, qui abjectionis desiderio natus in præseperat, desideraturum omnia Mundi regna. Quod si hostis etiam debellatus, non se continet, quin suadeat Christo, primæ tentationis victori, pejora, præcipitium, idololatriam: quid non perficiet, cum ad primum impetum se dedit anima? Hildebertus ep. 47. vix de cupiditate triumphat, de quo semel cupiditas triumphat, &c. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Qui irascitur fratri suo. Matth. 5. 22. Glossa: qui non irascitur, non occidit; sed non è contra. Licentia irascendi causa homicidii: tolle iram, & homicidium non fit. A radice cura mali inchoanda: qui secus facit, in ramis curandis vanè occupatur. Did. Niss. D. 1. Pent. §. 3.

Verebuntur filium meum. Matth. 21. 37. Rursum à minoribus ad majora scelera. Qui servos occidunt, domino non parent: injuria à ministris illata inopi, & derelicta plebecula, desinunt in perditionem imperantium. Oliva t. 1. conc. 6.

Alium

Alium ceciderunt, alium occiderunt. Matth. 21. 35. A fuste transitur ad telum; & à fervorum cæde fit gradus ad jugulum hæredis, & Domini. Non statim cælum fulminat: obducitur primùm, mox micat; tandem cum fragore regum turres ferit. Libavere agricolæ cruorem famulorum; quò fusò, cum elementa stare hæcenus sensissent, nullò posse periculò sanguinem hæredis exfugi statuerunt, Oliva fer. 6. D. 2. Quadr.

Nescio quid dicis. Matth. 26. 70. Nota: quia primùm ait, *nescio quid dicis*: secundò *cum juramento negat*; tertio *capit detestari, & jurare*. Perseverare quippe in peccato, dat incrementum scelerum. Did. Nisl. D. 5. Pent. §. 4. Diligenter considera, quòd perditus peccator nequaquam repente; sed per incrementa malitiæ, & à justitiæ descensu, hucusque devenit. Priùs quippe Christum simpliciter negat dicens: *ò homo non sum*. Luc. 22. 58. Deinde, ex priore delicto effectus debilior, cum juramento Veritatem se nescire fatetur. Postremò tanquam sine resurrectionis spe mortuus, sub anathematizatione Dei Filium spernit, & abjicit, S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 9.

Tenuit Joannem & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem. Marci. 6. 17. Herodes Joannis sanctitatem miratus, & Herodiadis perversis instigatus consiliis, nec audent omnino violare virtutem; nec vult nefariis prorsus incestæ contraire. Joannem non vult de medio tollere, nè Sanctitatem laterit; sed ligaturâ constringit; ut aliquid concedat libidini. Cum jus dedit, ut placaret; facultatem concessit ad jugulum. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Joan. 11. 47. Columbarum is gemitus est, timentiam Tiberii, quasi accipitris, lanienam. Dubitant de sua fortuna, caventque à Romanis. Cæterùm de Christo honorificè loquuntur: *multa signa facit*. Non carpunt, non accusant. Sed mox audies: *expedit, ut unus moriatur: blasphemavit; quid vobis videtur? reus est mortis. Tunc expuerunt*. Mos hic flagitii est, ut ludat in cunis, quò fasciis incautius evolatur: sed eas edet strages aduatum, quas nec concepturum illud putasses robustâ ætate. A quibus initiis progressa crudelitas Pharaonis? Ex. 1. 11. 16. 22. Oliva fer. 6. D. 2.

Crucifige eum. Joan. 19. 15. S. Leo l. 10. de Pass. Dominum Jesum diversis contumeliis affici, aut permisit Pilatus, aut jussit: ut facta iniquitas de innocentis injuriis ulterius non sevirer. Sed pertinax malitia propriis crescebat incrementis; & in quæ obtinuerat jus illusionis, exigebat & mortis.

Ex Patribus, & aliis.

Qui peccata minima devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. S. Gregor. 3. p. cur. past. Apud Paoletti D. 6. post Epiph.

Qui sunt parvuli Babylonæ? Pf. 136. 9. nascentes malæ cupiditates. - Quando nascitur

cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo; elide illam, cum parvula est. S. August. in Pf. 136.

Nunquam in majora incidemus peccata, si à parvis nobis caverimus. S. Chrysof. hom. 11. in Gen.

Nihil facit adeò inveterare, ut natura peccati. Quando ergo à peccato inveteraveris, renova teipsum per pœnitentiam. S. Chrysof. in Pf. 6.

Primùm tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis judicabis, non adeò grave; Paulò post & leve senties; Paulò post etiam delectabit. Ità paulatim in cordis duriciam itur, & ex illa in averfionem. S. Bernardus l. 1. de confid.

§. XV.

Peccatorum pœna.

Num. 1.

ET misit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram. Gen. 3. 23. Jussit Deus Adam è regione paradisi agere, ut pristinam vitam, dolore carentem, revocans in memoriam, odiò prosequeretur peccatum, tanquam auctorem laboriosæ, vitæ. B. Theodoretus q. 40.

Tulit illicè Sephora acutissimam petram &c. Ex. 4. 25. Vide prudentiam Sephoræ inter Angeli minas. Illa cum videret adactum pœnæ ferrum in viri pectus; non expalluit, non flevit, non ejulavit; sed ad remedia confugit: ut calamitatem evertat, non Angelum orat; sed reatus fontem obstruit filiò circumcisò. O sapientem sceminam! quæ citò didicit, ærumnarum nostrarum scaturiginem in nobis esse. Oliva l. 3. Strom. §. Occurrit ei Dominus &c.

Cessavitque plaga. Num. 25. 8. Hæc est septima plaga, quæ in hoc libro Num. Hebræis, ob peccata, immissa narratur. Prima fuit in sepulchris concupiscentiæ. Num. 11. 33. Secunda in Core &c. Num. 16. 33. Tertia ibidem v. 35. Quarta die sequenti. Num. 16. 41. Quinta Num. 21. 6. Sexta hic v. 4. Septima v. 8. Cornelius in Num. 25. 8.

Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est pretium &c. 2. Reg. 11. 15. Pudoris vis miranda laniena suffusi cruoris: quam ut David evaderet mitissimæ licet mentis, Uriam tamen telis hostium objecit: timuit enim, nè in suum probrum tumeret Bethsabeæ uterus. Ergo alienum effundi, quàm suum suffundi sanguinem maluit. Nè haberetur adulter, fit David sicarius: & ruboris, asperionem cruore alieno tegere voluit. Oliva fer. 2. Dom. 1. Quadr.

Tu fecisti absconditè &c. 2. Reg. 12. 12. 14. Agnoscit reus culpam, humiliatur, compungitur confitetur, luget, pœnitet; gemmas regias abdicat, purpurâ exuitur, torum regem cum ornatibus suis abjicit &c. Et tamen rex tanti nominis; sanctitate major, quàm potestate; prerogativis meritorum antecedentium supereminens; cum tantò habitu supplicat, non evadit. Salvian. de Provid. Dei l. 2.

Occid.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus. Et jugum grave super filios Adam. Eccl. 40. 1. Bellarminus l. 6. de amissione gratiæ c. 15. decem miseras, quasi pœnas humanæ naturæ, ob peccatum originale inflictas, recenset 1. est ignorantia in mente. 2. malitia in voluntate. 3. concupiscentia. 4. calamitas, labor, & dolor, in corpore. 5. mors. 6. ira Dei. 7. captivitas sub diabolo. 8. lites, rixæ, seditiones, & bella. 9. inimicitia, & rebellio, bestiarum. 10. omnia mala, quæ à Cælo, terrâ, marî, vel antè prævisa, vel omnino inopinata, hominibus accidunt. Cornelius hic.

Ego video volumens volans. Zach. 5. 2. Sept. *ego video falcem volantem.* Quam visio hæc sibi contraria! quid volumini cum falce? Ad primum anhelat Academia, ut ad fontem uberrimum scientiarum; ab altera docti, & indocti, se subtrahunt, ut instrumentis mortis. Qui ergo visio liber simul fuit, & ferrum? Hieron. pugnantia jungit in c. 5. Volumen volans ostenditur, in quo omnia peccata descripta sunt; ut unusquisque recipiat secundum opera sua. q. d. qui dicit, Zachariæ falcem visam, declarat effectum scelerum; liber causam pœnarum. Oliva. t. 1. conc. 15. die Ven. 2. hebdom. in Quadrag.

Num. 2.

Peccata tradunt hostibus.

Depopulati sunt urbem in ultionem stupri. Gen. 34. 27. Miror necati cives urbis integre a paucis viris: sed scelerati erant. Isidorus Pelusiot. l. 1. 294. injustitia nostra hostium est auxilium. Scio, quò murorum septo munita perisset civitas. Il. 54. 14. *injustitia fundaberis.* Velloso in Judit 5. 19.

Cur feminas reservastis? nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel &c. Num. 31. 15. 16. Quid doli struit Balac contra Israel, ut vincatur? mittit meretriculas. Theodoretus q. 45. ut propter impietatem, divinò denudati auxiliò, faciliores capti fierent. S. Chrylost. hom. 14. ad pop. quos arma, & equi, & milites, capere non potuere; hos peccati natura victos hostibus tradidit. Velloso in Judit 5. Paræn. 39.

Judæi, quotiescunque deos alienos coluerunt, à Deo castigati, hostibus objecti, & servituti objecti sunt: quoties autem pœnituerunt, Deus egregium ducem suppeditavit, qui eos ab hostibus liberaret; quod intra quingentos annos, cum sub Judicibus essent, septies illis evenit, &c. Stengelius t. 3. div. Judic. c. 60.

Non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Judit. 5. 17. Deum offendens coram hoste stare non potest. Velloso hic Paræn. 40.

Non crederunt reges terræ &c. Thren. 4. 12. Quamdiu hæc civitas vallata fuit auxilio Dei, & munita præsidio angelorum quando fuit in ea judicium, & justitia; quando virtutem replebatur bonis: nullus regum credere poterat, quòd ingrederetur hostis in ea: quia confortaverat Dominus seras portarum ejus Psalm. 147. 2. *& posuerat fines ejus pacem.* Cum autem ipsi averi sunt ab eo, cujus beneficio

Polyans h. Sacr. Tom. II.

muniebantur; recessit ab eis omne præsidium Dei, & facti sunt inter hostes præda. S. Paschasius hic.

Non ab extraneis est nobis, quam à nobis ipsis majus, periculum. Intus est adversarius, intus author erroris. &c. S. Ambrosius hexam. l. 1. c. 8.

Num. 3.

Peccatorum pœne seræ. Peccatum ipsum sibi pœna.

Scyphus, quem furati estis, ipse est - pessimam rem fecistis. Gen. 44. 5. Josephi fratres infantes erant; cum in carcerem mittendi traherentur ex itinere, quòd scyphum argenteum fuissent furati. Sed furtum longè gravius commiserant: nam ipsum fratrem suum parenti furati sunt. Et hoc furtum ante annos viginti, & aliquot, commissum, vel serò tandem fuerat puniendum. Drexelius Gymn. Pat. p. 1. c. 6. §. 9.

Ergo erravimus à via veritatis. Sap. 5. 6. Robertus Holcot: non dicunt: ergo hic in æternum punimur; sed *erravimus &c.* Quia ipsum erratum pœna est. S. Cyprianus rogatus: an ad pœnitentiam admittendi essent, qui timore pœnarum Christum negassent? respondet ep. 53. sit satis talibus, gloriam perdidisse; & quòd trienniò jugiter, ac dolenter, ut scribitis, cum summæ pœnitentiæ lamentatione planxerunt. q. d. eorum peccatum abundè nunc illò plectitur, quòd eà gloriâ, & voluptate, destituti sunt; quam haberent, si rectè egissent; & diuturnò nunc sui errati dolore torquentur. Did. Niss. D. infra octav. Ascens.

Intrinsicam pœnam malefactor pertulit, dum deliquit: cum eò ipsò quisque puniatur interius, quò consensit facere, aut perficit facinus. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ.

Num. 4.

Peccatum pœna sequitur impletâ mensurâ.

Necdum completa sunt iniquitates &c. Gen. 15. 16. Vas fictile vacuum super aquas constitutum; cum vacuum est, & semiplenum, non absorbetur ab aqua, sed supernat; & jam huc inclinatur, jam illuc: cum impletam, descendit. *Implete mensuram patrum vestrorum.* Matth. 23. 32. Olorius D. 5. Epiph.

Necdum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Gen. 15. 16. Disce, gratiam Dei esse, ubi cito peccata punit: alias enim augetur cumulus pœnæ. 2. Deum impios, & Respublicas, tolerare ad certum terminum; quem transgredi non possunt sine Dei punitione. Cornelius hic.

Va genti peccatrici, populo gravi iniquitate. Il. 1. 4. Sept. *populo pleno peccatis.* S. Cyrillus l. 1. in Il. incumulo, ac plenitudine, suorum peccatorum hæserunt. Quod etiam Christus illis dixit Joan. 8. 24. *mortemini in peccatis vestris.* Etenim expleverunt & ipsi mensuram patrum suorum. Ad aliquod enim tempus, & mensuram, tulit Deus contemptum

Fff

temptum

temptum delinquentium: cum autem ad plenitudinem peccati pertigerint, supplicium irrogat. Arcones hic.

Appropinquavit finis nosster. Thr. 4. 18. Completi dies planguntur; quia compleverant illi scelera, & mensuram, patrum suorum: qui dies peccandi cum completi fuerint, venit finis. S. Paschasius hic.

Super tribus sceleribus Damasci; & super quatuor non convertam eum. Amos 1. 3. Illud sentire nos convenit: tamdiu unumquemque à Dei patientia sustineri, quamdiu nondum suorum peccatorum terminum, finemque, compleverit: quò consummatò eum illico percuti; nec ullam illi veniam jam reservari. S. August. de vita Christina c. 3.

Hac est amphora egrediens. Zach. 5. 6. Amphora est mensura peccatorum; quà completà Deus ea castigat. Oculis omnium impiorum in eam respicit: quia impii non nisi ad suas cupedias, & scelera, respiciunt. Itaque eam sensim implent, quà impletà talentò plumbi ipsa obtegitur. Quò significatur gravis Dei ultio, quæ impietatem amphoræ, id est, mensuræ, penarum culpis parium adæquat, & includit. Cornelius hierogl. hic.

Confestim percussit eum Angelus Domini. Act. 12. 23. Cur solus Herodes tam rigide punitur? & non etiam illi, qui applaudentes dicebant; illius voces non esse hominis, sed Dei? Oecumenius: utriusque sanè supplicio digni erant: verum, cum nondum tempus sit iudicii, is punitur, qui maximè obnoxius est crimini. Herodis scelerum mensura impleta erat, ut Dei iram concitarent; non illorum. Sylveira hic q. 22.

§. XVI.

Peccati fecditas.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Is. 6. 1. Mox clamat: *væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum.* v. 5. Luce coelesti donatus nihil prius, quam peccatorum fecditatem videt, ut ad poenitentiam excitetur. S. Greg. Naz. or. 7. Isaias, priusquam Domini lucem conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec animò languet. &c. Postea verò quam hæc vidit, velut seipsum agnoscens; me miserum, inquit, quia compunctus sum. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 1.

Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis &c. Thr. 4. 8.

Abominabilem fecisti decorem tuum, Ezech. 16. 25.

Et ecce vir plenus leprâ. Luc. 5. 12. Morbus lepræ designat rectè peccatum mortale: quia, sicut lepra inficit, & deformat, carnem; sic peccatum maculat, & deformat, animam. S. Bonaventura hic. Nulla lepra deterior, quam peccatum est. S. Chrysof. hom. 3. in ep. ad Titum.

Sicut virtute nihil purius, sic improbitate nihil turpius, atque obscenius est: illa enim sole splendidior est; hæc foetidior cæcò. S. Chrysof. hom. 28. in 2. Corinth.

Mihi servus est, quisquis turpiter, ac flagitiosè vivit. S. Gregor. Naz. in nocilem male moratum.

O quàm gravis esset illi mulieri infirmitas, per quam sic deformaretur, ut à patre non cognosceretur, à sponso contemneretur, & vilissima à tota sua vicinia haberetur. Talis est anima infelix, deformata per culpam; quæ à spiritali Patre non cognoscitur, à sponso Christo contemnitur, & vilis à sanctis omnibus reputatur. S. Bonaventura f. 122.

Peccante nil est tetrius; nil tam leprosum, aut putridum: cruda est cicatrix criminum, oletque ut antrum Tartari. Prudentius Poeta Christianus hymnò de S. Laurentio.

§. XVII.

Peccatum pungit, gravat &c.

Num. 1.

Comparatur spinis.

SPina est omne peccatum: quia, dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. S. Greg. mor. l. 20. c. 12.

Rosa illò tempore sinè spinâ fuit: nam postea pulchritudini ejus adjuncta fuit: ut esset videlicet voluptati sollicitudo contigua, reminiscens nobis peccatum; cujus gratiâ dumos, & vepres, generare terra damnata est. S. Basilius Cæsar. hexam. l. 5.

Spinæ, quæ pedibus infixæ, non solum retinent, retardantque; verum etiam enecant, peccata sunt; à quibus durities calceorum defendit, continentissima videlicet, tenuis, ac dura, vita. S. Gregor. Nyss. l. de vita Moysis.

Spinæ peccata designant; quæ animam pungunt, ac lacerant: nam & propter peccatum homini data sunt, dicente Dominò ad Adam: *cum operatus spinas, & tribulos, germinabit tibi.* S. Rupertus in Joan. c. 19.

Num. 2.

Peccati amaritudo.

Radix germinans fel, & amaritudinem. Deut. 29. 18. Peccatum, & aversio à Deo, hic dicitur fel, amaritudo, &c. quia lethaliter fauciat animam; quia eam amaricat per remorsum conscientie. Cornelius hic.

Amara potio. Is. 24. 9. Potio peccati est amara. 1. propter conscientie remorsum. Prov. 5. 4. *novissima illius amara.* 2. propter mortis metum. Eccl. 41. 1. *ò mors, quàm amara est memoria tua.* 3. propter divinæ dulcedinis defectum. Jerem. 2. 19. *scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* 4. propter poenitentiae planctum. Is. 38. 15. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime meæ.* S. Thom. Aqu. hic.

In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse. Act. 8. 23. Dixit S. Petrus Simoni Mago.

Accipe librum, & devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Apoc. c. 10. 9.

Cum

Cum Evangelista vir magna sanctitatis esset, improba facta per experientiam non gustaverat: verum ubi librum, qui improborum, & nequam hominum, facta continebat, devoraverat; edoctus est, dulcedinem, quam peccatum iniuriæ offert; post opus patratum in amaritudinem, id est, in poenam, & cruciatum, verti. S. Andreas Casar. l. 10. hic.

Recolite, recolite, & sedulâ mente pensate; quam sit amarum, ab ipso separari, cui vos promissistis, ac nupsistis; cui vos in omni sanctitate vovistis, S. Bernardus. tr. de lamentat. B. Mariæ.

Num. 3.

Venenum.

Habuit mulier illa poculum aureum in manu plenum abominatione &c. Apoc. 17. 4. Quicumque enim per pulchritudinem, & delectationem, creaturarum allicitur ad peccatum; quasi de auro bibit venenum. S. Bonaventura. f. 2. Dom. 3. Pent.

Morsus serpentium peccata sunt, quibus plagatum est humanum genus; ex quo primum hominem per serpentem decepti diabolus. S. Rupertus l. 3. in c. 3. Joan.

Scorpio ore lingit, brachiis stringit, & demum caudâ pungit. Sic mortalis culpa primò delectat, deinde illaqueat, demumque per remorsum conscientia pungit. S. Bernadinus f. de tripl. an. statu.

Ante reatum hominis nil noxium terra proculit, nullam herbam venenatam, nullam arborem sterilem: cum manifestè dictum sit, quòd onanis herba, & universa ligna, data sint hominibus, ac volatilibus, terræ quoque animantibus cunctis, in escam. V. Bedal. hexam.

Num. 4.

Gravat.

Quoniam iniquitates meae supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave, gravatæ sunt super me. Pl. 37. 5.

Quid autem vides festucam-trabem autem &c. Matth. 7. 3. Per trabem hic significatur peccatum mortale, quod est in anima. Rectè dicitur, trabem esse in oculo: quia, quam incapax est oculis trabis, tam anima peccati mortalis: & tantum eam gravat, ac si ingens esset trabs posita super oculos. Sylveira hic q. 5. Dum autem peccatum comparatur trabi, & festucæ; ostenditur, quam impatiens illius anima esse debeat. Nam, cum oculus sit res tenerrima; minutissimâ re læditur; ut in lacrymas solvatur, quoad à se festucam projiciat: ita anima in se non debet etiam minutissimum ferre peccatum; sed in lacrymas solvi, dum ab eo mundetur. Id, ib.

Num. 5.

Vulnerat.

Vulnus animæ peccatum est; de quo dicitur Il. 1. 6. *vulnus, & livor, & plaga, tumens; non est circumligata, nec curata medicamine, nec sota oleo.* S. Gregor. in Pl. poenit. Pl. 6.

Polyantha Sacra. Tom. II.

Incidit in latrones. Luc. 10. 30. Quæ sunt plagæ? quæ vulnera? quibus vulneratus est homo? vitia, atque peccata. Origenes hom. 34. hic.

Num. 6.

Est morbus, febris.

Vidit socrum ejus-febricitantem. Matth. 8. 14. Unusquisque nostrum febricitat: quando irascor, febricito: quot vitia, tot febres sunt. S. Chrystost. in Marcum hom. 6. c. 1. Febris mortale peccatum præmittit frigus negligentia bonorum operum. S. Vinc. Ferr. Febris ex frigore oritur, & desinit in calorem. Sic febris animæ, id est, peccatum, sæpe oritur ex negligentia, & tepore: inde enim cupiditas, ardor luxuriæ, gulæ, superbiæ, accenditur. Febris gustum vitiat, quia ipse pravò humore infectus est. Sic febris animæ facit, ut res divinæ, conciones, lectiones spirituales, colloquia pia, monita sancta, eis despiciant. Cornelius in Matth. 8.

Erat autem quidam homo ibi, triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5. 5. Rectè quidem hic homo, tantò tempore languidus, peccatorem significat, scelerum suorum enormitate pressum: cui quia dilectio Dei, & proximi, deest, & idcirco per poenitentiam convalescere non potest, bene hujus infirmitas 38. annos habet; & à quadragenario numero, qui poenitentia dicatus est, binariò differt. S. Rupertus l. 5. in c. 5. Joan.

Peccatum est morbus quòvis dæmoniò favior. S. Chrystost. hom. 5.

Gravis est res peccatum, & morbus animæ acerbissimus iniquitas; quæ & nervos illius omnes præcidit, & æterno igni obnoxiam facit. S. Cyrill. Jerof. Catech.

Omnis corporalis morbus aliquid nobis innotescere facit mali culpæ: cujus tanta malitia est, ut unâ infirmitate, & malò, declarari nequitiam possit; & idèò pluribus manifestatur. Cæcitas ostendit tenebras peccati, lepra maculam, paralysis ineptitudinem ad bona opera, Osorius D. 3. Epiph.

Fortassis etiam in typo mulieris illius Socrus Simonis, & Andree, variis criminum febribus caro nostra languebat; & diversarum cupiditatum immodicis astuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus inflamat: febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. S. Ambros. l. 4. in Luc.

Peccatum est infirmitas, quâ Mundus dissipatur. Et nota, quòd peccatum est febris tertiana, propter triplicem concupiscentiam, scilicet divitiarum, deliciarum, & honorum; de quo dicitur I. Joan. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Quartana est, propter quadruplicem gradum peccati, scilicet cordis, oris, operis, & consuetudinis. Contra quæ dicitur Cant. 6. 12. *revertere, revertere Sulamitis,* id est, anima misera. Quater dicit *revertere*, propter alia quatuor prædicta. S. Bonaventura diet. sal. c. 1.

Fif 2

Num.

Num. 7.

Hyems, & frigus.

Qui dat nivem sicut lanam &c. Pl. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum bonum est, ut ille spiret, & solvat: si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiem glaciei hujus dissolverit; *ante faciem frigoris ejus &c.* Cujus? Dei. Unde est ejus frigus? ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. S. August. hic.

Caput meum plenum est rore. Cant. 5. 2. nocturno, quasi gelidum; dum non amatur a te, nec à multis fidelibus meis; sed videor esse in Mundo, velut nocte, rore, & gelu frigidus. de Ponte hic Exh. 8. §. 4.

Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Jer. 6. 7. Notandum; quod peccatum dicitur frigus; quia extinguit calorem dilectionis. Matth. 24. 12. *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas.* Quia congelat huiusmodi devotionis Eccl. 43. 22 *frigida ventus Aquilo flavit, & gelavit crystalli ab aqua &c.* quia retardat motum operationis bonæ. Prov. 20. 4. *propter frigus piger arare noluit.* S. Thom. Aqu. in Jer. hic.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matth. 24. 20. Hyems est status culpæ; ver est status poenitentiae. Cant. 2. 11. *jam hyems transit.* Estas status perfectæ justitiæ. Autumnus status mortis: tunc enim colligit homo, quæ seminavit. Hugo Card. in Gen. 37. S. Athanas. q. 83. hyemem peccata vocat, & Sabbathum securitatem. Dicit ergo, vae animæ, in peccati securitate, vel socordiae, constituta.

Hyems est cura rerum temporalium, atq; hyeme tristior: neque enim hic rigor, aut pluvia nascitur, aut lutu gignitur, & profundus limus; sed quod est his omnibus gravius, gehennam gignit hæc hyems, ac gehennæ mala. Et quemadmodum in vehementi rigore congelascunt membra, suntque mortua; itidem in peccatorum hyeme horror animæ nihil officiorum suorum peragit, concreta velut à rigore conscientia. Quod corpori frigus est; hoc est animæ mala conscientia, unde & timiditas nascitur. S. Chrysol. hom. 7. in 2. Cor. 3.

Nox est peccatum, instar nivis frigidum, id est, in frigidans dilectionem. Obscuram, id est, obscurans rationem; ineptum faciens ad bonam operationem. S. Bonaventura dicit. sal. in Prologo.

Qui legem derelinquit, ignem derelinquit: & ideo refrigescit. Id. in Pl. 188.

Quantum frigus sit peccatum, ex eo vel maxime ostenditur; quod nec immensa Inferni flammæ per omnem æternitatem peccato uni admotæ illud consumunt. Fernandus in Gen. 3. sect. 21.

Miscellanea.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. 19. Dives ille, quando quotidie epulabatur, splendide, bene secum facere putabatur: cum autem

cepit ardere apud inferos; tunc inventum est male, quod putabatur bene. Quod enim manducaverat apud superos, hoc digerbat apud inferos: iniquitatem dico, fratres, quam epulabatur. Manducabat pretiosas epulas ore carnis; ore cordis manducabat iniquitatem. S. August. in Pl. 48.

Pessimus animæ cibus est, velle, quod non licet. S. Leo l. 9. de jejuniis septimi mensis.

Cum comprehenderunt te dolores parturientis; ut parturires iniquitates, & pareres injustitias: nullus enim major est dolor; quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus; quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram; nè se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. S. Ambros. ep. 18.

Dæmoniacus rex Saul, furiosus peccati regnum; David autem pacatum justitiæ regnum, significat. In singulis hominibus, quamdiu non liberantur gratiæ Christi, peccatum regnat: & tanquam furiosus sessor equum subactum calcibus urget, flagellis diverberat. S. Rupertus in 1. Reg. 21.

Peccatum est crudelis fera, & non unò capite in hominum genus sevirere contenta. S. Chrysol. l. 111.

Homo peccat, & Deus convertitur? ita fratres: quia juxta Prophetam, iste peccata nostra portat & pro nobis dolo. *Convertere* Pl. 6. 5. Unde? ubi? de Deo in hominem; de Domino in servum; de Judice in Patrem. Id. l. 45.

Feræ sunt atroces, foeda, immanueta vitia; quæ si, subjuganda carne, & obediante vitæ, capistremus; cum Daniele triumphabimus. S. Theodorus Studita l. 28.

§. XVIII.

Peccatum causa, & Origo mortis.

Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Rom. 5. 12.

Inobedientia est causa mortis, omnes experimur; omnes morimur propter eam. S. Bernardus l. 2. de obedientia &c.

Peccatum est arbor mortis: gratia est arbor vitæ. S. Bonaventura l. 2. de ingressu ad Sapientiam.

Mortalis à Deo factus est homo. Merito: quoniam, quod Deus noluit, fecit; subjiciatur morti, quam ipse non fecit. Scriptura dicit, quod *Deus mortem non fecit.* Sap. 1. 13. Et qui prætergreditur, quod Deus vult; fiet ei, quod ipse non vult. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

§. XIX.

Peccatum mors animæ.**Symbola.**

Nè unquam obdormiam in morte. Pl. 12. 4. Id est, peccato. Dormitat in morte, id est peccato, qui frequenter labitur, & frequenter

ter refurgit; dormit, qui, cum ceciderit, non refurgit. Obdormit oblinatus, qui peccatum suum defendit, nec de facili excitatur. Hugo Card. hic.

Ossa arida audite verbum Domini. Ezech. 37. 4. Ossa peccatores: quia neque gratie vitam, neque charitatis conjunctionem, habent. Campus sepulchrorum afforis dealbatorum, intus verò plenorum ossibus mortuorum, est Mundus. de Ponte tom. 1. de perfect. hom. Chritt. tr. 1. c. 11. §. 2.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. 12. Quid aliud, nisi quasi in quodam fereho, hoc est, supremi funeris instrumento, jacemus exanimis; cum vel ignis immodica cupiditatis exastuat; vel frigidus humor exundat; vel pigra quãdam terreni, corporis habitudine vigor haberetur animorum; vel concretã noster spiritus labe puræ lucis vacuus mentem alit? hi sunt nostri funeris portitores. - Quis est tumulus tuus, nisi mali mores? tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. S. Ambros. l. 5. Quatuor portant peccatorem ad sepulturam Inferni: duo ante, & duo retrò. Primus est mala consuetudo; secundus mala societas; tertius vana confidentia de longa vita; quarta falsa spes de misericordia. S. Vincent. Ferr. serm. fer. 5. post Lætare.

Videbam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem. Luc. 10. 18. Significavit non solum imperium, quò præcipitatus cecidit; sed etiam detrimentum, quod in anima operatur. Sicut fulgur in gladium incidit, ferrum in cinerem vertit, vaginã illasã; sic cadens demon cum sua malitia animam per peccatum occidit: nec tamen hæc mors exterius apparet in carne. Diez. D. 3. Quadr.

Testimonia

Ex Veteri, & Novo.

Morte morieris. Gen. 2. 17. Statim namque, ut prævaricatus est mandatum, mortua est anima, quæ peccavit. Orig. hom. 15. hic.

Ascendit mors per fenestras. Jerem. 9. 21. & domum ingreditur, cum, per fenestras corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Id. Mor. l. 21. 2.

Domine, filia mea modo defuncta est. Matth. 9. 18. Filia tua, est anima tua, defuncta per culpam; cui manus Christi imponitur per gratiam. S. Bonaventura f. 1. D. 23. Pent.

Non est puella mortua. Matth. 9. 24. Fortè hæc puella non fuit mortua morte culpæ; quamvis fuerit mortua morte naturæ; ut ideo quoque dictum sit: *non est mortua, sed dormit.* Dion. Carth. hic.

Qui vicerit, non ledetur à morte secunda. Apoc. 2. 11. Mors enim prima est separatio animæ à Deo per mortale peccatum: mors verò secunda est recessus Dei ab anima per æternum supplicium. S. Bernardinus tom. 2. f. 11.

Ex Patribus.

Umbra mortis mors carnis accipitur: quia, sicut vera mors est, quæ anima separatur à Deo; ita umbra mortis est, quæ caro separatur ab anima. Unde rectè voce Martyrum dicitur Ps. 43. 20. *humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperit nos umbra mortis.* Quos enim constat, non spiritu, sed solã carne, mori; nequaquam se verã morte, sed umbrã mortis, dicunt operiri. S. Gregorius Mor. l. 4. cap. 17.

Sicut anima est vita corporis, sic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit; ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus mors animæ, anima amissa mors corporis. S. Augustinus serm. 6. de verb. Dom. serm. 6.

Mors animæ fit, cum eam deserit Deus; sicut corporis, cum id deserit anima. Id. de Civ. l. 13. 2.

Mortem carnis omnis homo timeret, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ omnino ventura est, curant omnes, ne veniat: non laborant; ne peccet homo æternum meriturus. S. Aug. tr. 49. in Joan.

Qui tibi recusat vivere, mortuus est. Idem Manuali c. 4.

Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisti; ingemisceres dolenter, & fletes: facie inculatã, veste mutata, refectò capillò, vultu nubilo, ore dejectò, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam miseram perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti; & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? S. Cyprianus l. de lapsis.

Anima moritur, dum deferente, Deo de bono in malum mutatur. S. Isidorus l. 1. sentent. c. 1.

Quam terribilius canis putridus foetet hominibus, quam anima peccatrix Deo! quam infelicitus ista Deo, quam ille hominibus! heu! non hominem, sed opprobrium hominis, vilius pecore, pejus cadavere, S. Anselmus lib. de miseria hominis.

In peccatis miseram vitam agentes nihil à mortuis differunt: imò verò maxime differunt; cum sint illis multò deteriores. Nec enim mihi dices, clausisse hunc oculos, nec sepulchro jacere, nec insulis ligatum detineri, nec postremo vermibus esse projectum; cum multò peioribus hic, quam qui obierunt, vexetur. Non devorant scelerum hominem vermes; sed perturbationes animi, omni ferocia belluã truculentius exagitant, atque dilacerant. Quòd si aperti sint oculi; id multò deterius est, quam si clausi essent: clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident &c. S. Chrysost. hom. 28. in Matth.

Carnem, quam non possumus suscitare, plangimus; & mortuam animam non plangimus, quam possumus ad statum pristinum revocare. S. Caesarius Areh. hom. 8.

Fœtet corpus ab anima separatum, fœtet anima à Deo sejuncta. Putrescit corpus, putrescit anima: vermes procreat corpus, vermes conscientia, ac morsus procurat animæ. S. Chrysol. l. 19.

Corpora peccatorum quid sunt? nisi sepulchra mortuorum. Guarricus l. de script. sacrar. utilit.

Quod majus homicidium, quam ut seipsum interficiat homo? Quoties voluntariè, & ex studio, peccatum perpetrat, quid aliud, quam seipsam jugulat? Drogo ost. l. de Sacr. Pass.

§. XX.

Peccatum vitandi varia motiva,

Ex Veteri.

Aperientur oculi vestri. Gen. 3. 5. Nullum non lapidem movet diabolus, ut religiosam vitam impugnet, & obedientiam: qua nihil sublimius si minus abolere, certè imperfectam reddat: quò enim obedientia minus habet oculos, & plus caeca est; eò generosior, & illustrior habetur. Fernandus hic.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. 9. Hebr. *quomodo faciam malum grande?* Impossibilitatem in seipso agnoscit, ferendi tam grande onus; ut annotat Oleaster: hoc malum peccatores, dum peccare volunt, habent; quòd, cum peccare cupiunt, peccatum attenuant. Justi verò omnes nervos ejus extendunt; & tam grave, ac magnum, faciunt; ut vires eorum omnino excedat; & sic dimittant; nec se posse, aut scire, fatentur. Arcones in II. 1. 4. Disc. 5. Impotens sibi quodammodo esse videbatur. Nec enim dicebat, nolo sed non possum: fieri enim non posse videtur; ut, qui Deum timet, in illum peccet. Octavianus de Tullio in Eccl. 1. 27.

Ponderebat (Absolon) *capillos capitis sui pondere publico.* 2. Reg. 14. 26. Id est, æstimabat peccata sua secundum publicum judicium hominum: qui non attendunt peccati damnum, sed tantum præsentem peccati delectationem. Dolosum est pondus: deberet enim Deus poni in una lance; & peccati delectatio in alià: & sine dubio præponderaret Deus. Hugo Card. in Gen. 27.

Exentera hunc piscem. Tob. 6. 5. Peccatum, quod te devorare vult, exentera: cogita, quid voluptati illi, quid honori, quid divitiis, subit? hoc animæ tuæ oculos curabit. Dicit David: *in circuitu impij ambulans*, id est, externa tantum peccati spectant; quod intus est, negligunt. Diez. conc. 2. in die S. Andreæ.

Visitans speciem tuam non peccabis. Job. 5. 24. Speciem hic, pulchritudinem animæ dixit. Animæ tuæ speciem sæpius introspectas; & ita, custoditus protectione misericordiæ illius, non peccabis. V. Beda hic.

Confige timore tuo carnes meas. Pl. 118. 120. S. Ambrosius legit: *confige clavis à timore tuo carnes meas.* & addit hic: qui diligit Domini testimonium, configit clavis carnes suas; sciens, quòd

vetus homo crucifixus est. Confige ergo te clavis, & destrue fomenta peccati: moriatur in te illecebra omnium delictorum; libertatem vagandi cupiditas non habeat cruci affixa. Naldani anno Crucif.

Cecidimus, quasi folium, universi; & iniquitates nostræ, quasi ventus, absterunt nos. II. 64. 6. Folium deciduum non curamus levare: ventus non videtur. Oleaster hic: ventus sunt iniquitates nostræ; neque reputantur, quoniam non videntur, quemadmodum neque ventus sed maximo impetu homines ad inferos impellunt. Novarinus Elect. Sacr. 1. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ducite cautè. Marci 14. 44. Quod impiè dixit proditor, nos piè dicamus. Teneamus Deum nostrum, amoris vinculis constringamus; & ducamus cautè, hoc est, caveamus peccata omnia, nè à nobis recedat. Syleveira c. 3. in Matth. 26.

Cum morte suscepta exemplum dedit hominibus, usque ad mortem resistere adversum peccatum. Origenes in ep. ad Rom. 1. 4. in c. 5.

Quid potest Mundus promittere? quidquid libet, promittat; fortassis castino morituro promittit, Et quà fronte ad illum, qui manet in æternum, exiturus es? sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias? nunquid ignem æternum? Exhorresce, quod minatur omnipotens; ama, quod pollicetur omnipotens: & vilescit omnis Mundus, sive promittens, sive terrens. S. August. in ep. S. Joan. tr. 3.

Vitium momentaneam habet voluptatem, dolorem verò perpetuum, S. Chrysol. tom. 6. hom. de Anna.

Fecit quisquam peccatum, ut aliquam caperet voluptatem: remanet, quod damnat; præterit, quod delectat. S. Cæsarius Arel. hom. 4.

Diabolus nullà præcedentis peccati vindictâ superbiens peccavit; eò, visâ ejus poenâ, non continens ad peccatum properavi. Ille in innocentia constitutus; ego verò restitutus: ille perstitit in malitia, Deò reprobante; ego verò Deò revocante: ille contra non requirementem se; ego verò contra morientem pro me. S. Anselmus 1. de casu diaboli.

Terreat te timor Judicii terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis mordens, sepulchrum fœtens, flamma tartarea; & tandem omnia mala: ut tandem clames: in æternum non peccabo. Hugo à S. Viçt. l. 3. de anima.

Diabolus angelus malus; diabolus homo iniquus: diabolus, angelus irre conversibilis est; homodiabolus, obstinatus: & cum homo usque in finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur; nisi ab ipso in malo proposito immutabilis præficeretur. Joan. 6. 71. *ex vobis unus diabolus est.* Sim. Cals. l. 8. c. 31.

§. XXI

§. XXI.

Peccatorum origo, & radices.

Num. 1.

Liberum arbitrium.

Non accedet ad te malum. Pf. 90. 10. Loquitur de malo, quod in nobis est, & extra nos esse non potest. Et tale est malum culpæ, quod non nisi intrâ nos, id est, in libero nostro arbitrio esse potest. *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, loquitur de malo, quod potest locum habere in rebus nostris, in servis, in domo, in agris, in substantia reliqua: & tale est malum pœnæ. Bellarminus hic.

Quod propriè malum est, ex commissis liberi arbitrii capit exordium. S. Basilius Cæsar. l. 2. hexam.

Num. 2.

Oblivio Dei.

Oblivio Dei est radix omnium peccatorum. Bellarminus in Pf. 9.

Idcirco abundat in vita peccatum, adjectionibus semper in majus augetur, & omnibus humanis studiis implicatum: quoniam oblivio Dei tenet omnes; & orationis bonum rebus feriis ab hominibus non firmè adhibetur. S. Gregor. Nyss. de Orat. orat. 1.

Oblivio Dei conciliatrix peccati est. B. Theodoretus in Pf. 49.

Num. 3.

Ignorantia Dei.

Vastata est omnis terra- quia stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4. 20. 22.

Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. 1. Joan. 3. 6.

Num. 4.

Varia.

Propter quid irruit impius Deum? dixit enim in corde suo: non requirit. Pf. 10. 13. Impii, dum sperant se impunè apud Deum habituros, audacius contra eundem peccant. Bessius D. 1. Adv.

Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Marci 6. 25. S. Basilius Se-leuc. or. 18. proferatur ocus, dum fervet com-potatio. Ne fortè, ut inquit Abul. in c. 14. Matth. 9. 29. decoctò vinò, digestis epulis, & digestis testibus, refrigeret, & à promissione resilliret Herodes. In suis suggellio-nibus non vult diabolus pati moras; ne ho-mo consideret gravitatem criminis. Sylveira hic.

Duo sunt, quæ in peccata homines aut al-liciunt, aut impellunt: voluptas, aut dolor; voluptas illicit, dolor impellit. Contra vo-luptates necessaria est continentia; contra do-lores patientia - Dulcis est voluptas; sed dul-

cior Deus: malus est dolor temporalis; sed pe-jor est ignis æternus. S. August. s. 42. de divers. Hinc peccata omnia; aut cupiendo aut ti-mendo. S. August. in Pf. 38.

Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor. - Proponitur tibi præmium, ut pecces; id est, quod te delectet; facis, pro-pter quod cupis. Sed fortè non induceris do-nis; terreris minis; facis, propter quod times. S. August. in Pf. 78.

Hæ sunt causæ peccandi: vinum, mulieres, prospera corporis habitudo, & divitiæ. S. Isaac. l. 1. de cont. Mundi c. 11.

Quatuor sunt, quæ ad delictum hominem impellunt: scilicet lucrum, timor, spes, & amor. S. Thom. Aqu. opusc. 37. c. 4.

Ad casum impellunt nos. 1. debilitas virium: sicut cadunt pueri, decrepi, infirmi. 2. onus peccatorum. 3. multitudo trahentium. 4. lu-bricitas viarum. 5. varietas offendiculorum. 6. ignorantia agendorum. 7. exempla cadentium, Id. in 1. Corinth. 10. Lect. 3.

§. XXII.

Nos ipsi causa peccati.

Quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa, suscipient te. Eccl. 21. 2. S. Chrysostr. hom. 8. in ep. Ad Rom: notat si accesseris: non enim, inquit, peccatum ad nos accedit; verum nos ad illud transfugimus. Cornelius hic.

Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversas mihi in prævium, vinea aliena? Jer. 2. 21. Plan-tatio quidem bona; sed fructus ex voluntate malus. Atque idè plantator quidem in cul-pa non est; vinea autem comburetur: quoniam in bonum plantata est, & in malum fructifi-cavit. S. Cyrill. Jerof. Catech. 1.

Homo erat pater familias, qui plantavit vineam. Matth. 21. 33. Deus non misericor-dia tantum, verum justitiæ quoque suæ, exi-stimationem tuetur: peccator enim ipse sibi suas pœnas procurat. Did. Niss. ser. 6. D. 2. Quadr.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12. Notat S. Chrysostr. & Theodoretus; non dici, non tyrannizet, quasi invitis vobis, peccatum: quia peccatum in no-bis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illudque spontè acceptantibus; ac consequen-ter nobis tyrannizare non potest. Alii non improbabiler capiunt hic peccatum pro fo-mite concupiscentiæ. Unde notant S. August. in Pf. 35. & Gregor. l. 14. mor. c. 9. non dicere Apostolum, non sit, non habet; hoc enim est impossibile: sed non regnet in vobis pec-catum; ut scilicet ei vos subjiciatis, ejusque desideris obediatis. Cornelius hic.

Excusatio tibi nulla in die Judicii superest, cum secundum tuam sententiam judicaris; & quod feceris, hoc & ipse patiaris. S. Cypria-nus lib. de orat. Dom.

Reprobatio mali, & electio boni, sic animæ rationali infixæ sunt divinitus; ut de hac ne-mo rectè causetur: quia nulli ad harum rerum perle-

persecutionem deest scientia, sive potentia: quia, & quod agendum est, scimus; & quod scimus, facere possumus. Id. de Baptismo Christi.

Cum suadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis; ut prælemus ei arma nostra, quibus nos occidat. S. Bonaventura de reformatione mentis p. 1. c. 3.

In nobis est omne, quod peccamus: cogitationes enim, & mentis affectiones, & voluntates, & membra corporis nostri, sunt, in quibus meremur, & demeremur. Id. ib.

§. XXIII.

Peccatorum remedia.

Remedium primum

Radicem, viam, causam, tolle

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Effecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim. Gen. 3. 24.

Nè scilicet rursus adeat locum, ubi deliquerat. Ib. *ad custodiendam viam ligni vite.*

Cur non dixit, ad custodiendam etiam viam ligni scientiæ boni, & mali? Ut amputaretur omnino recidendi occasio. Ad paradisum,

ubi deliqui, ubi adest lignum vetitum, recurro; non ut comedam ex vetito fructu, sed ut vitali cibo reficiar. Meretricis domum adeo;

non ut peream; sed ut elemosynam inopi dem. Peribis miserè: non enim solum apponenda custodia viæ ligni vetiti, sed & ligni vitalis; si

intra eandem domum existat utrumque. Joan. Clim. de fuga inanis vitæ gr. 3. solent diu sopita vitia reviviscere, Eva, & Adam, à paradiso inviti exulant: rursus enim ad concupiscendum inobedienciæ lignum pertracti fuissent.

Escobar tr. 1. Mir. Chr. l. 4. Sect. 2. Obf. 7.

Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Gen. 9. 4. In sanguine prohibetur homicidium: nè scilicet, propter delectationem edendi sanguinem, delectemur effusione humani sanguinis. Hugo Card. hic.

Abraham, ut à spoliis Sodomorum absteret, etiam à filo subregminis usque ad corrigiam caligæ absternebat. Gen. 14. 23.

Ejice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. Non est satis filium, id est, peccatum, animò pellere; matrem quoque pelle, id est, occasionem, peccati genitricem. Barradius t. 3. l. 2. c. 16. Dom. 12. Pent.

Si masculus fuerit, interficite eum. Ex. 1. 16. Pharaò mares Hebræorum vix natos suffocari curavit. Prævidebat scilicet bellum sibi ineundum non cum infantibus, sed cum tot futuris viris bellicosis. Authore incerto.

Ibinus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus. Ex. 3. 18. Non in Ægypto, non propè, sed longè ab Ægypto, sacrificia petit, viâ trium dierum. E contra Ægypti rex id agit, ut vel in Ægypto sacrificent, vel non longius discedant; vel saltè greges, & suppellectilem, in Ægypto relinquunt: quarumcunque enim rerum ratione discedat populus, spem habet, iterum redigendi po-

pulum in captivitatem. Ex. 10. 24. Sic agit dæmon, ait Orig. hom. 4. in Ex. vult nos esse sibi aliquâ parte vicinos; vult nos à suis finibus non longius discedere. Pl. 102. 12. *quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Vide, quâ ratione iniquitates Deus repellit, cum poenitemus. Ortus, & occidens; pro longissima distantia posuit. q. d. nisi longissimè discedas ab iniquitatè, iterum in eam recides. Pinna Ethol. 238.

Devoravit virga Aaron virgas eorum. Ex. 7. 12. Cûr virgæ illæ præstigiis non iterum instauratæ? nec depræliatæ cum virgâ Aaron? Rationem dat expressè textus: *devoravit virga &c.* non solum occidit, vel in frustra dispersit; sed penitus deglutivit, & consumpsit: nihil virgarum remansit. Naxera in Jos. 11. §. 19.

Cum parvulis nostris pergemus cum ovibus, & armentis non remanebit ex eis unguis. Ex. 10. 9. 26. Abscindat poenitens non peccata solum, sed affectus, propensiones, & occasiones ad illa. Mendoza in 1. Reg. Si dolens de concubinato; nec lanam domi tuæ contineas, nec monile, nec calcem, nec annulum ipsius; quæ possint in tuam meatem earum iterum adducere. Stella in Luc. 11. 42.

In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Ex. 12. 15. Fermentati panis usum inhibuit Deus in agni celebritate. Cur à domibus ipsis abesse debuit? Rupertus l. 2. in Ex. 15. nè dum præsens est, eò facilius possit quis in prævaricationem labi. S. Cyprianus ep. 62. nemo diu tutus est periculo proximus.

Tunc cecinit Moyses. Ex. 15. 1. Cur non antea? cur non post necem primogenitorum? cur non mox ab egressu? Respondet Nissenus: quia tunc plena reportata est victoria. Antea plures Ægyptii occisi; sed persequentium plures superstites: jam adeo radicatus omnes sublatis; ut nec unus manserit vivus, Naxera in Jos. 10. §. 54.

Qui tetigerit montem, morte morietur. Ex. 19. 12. Montem nè vel solum tangi, præcipit, & primò pede calcari: sciebat enim; eos, cum semel montem tetigissent, eundem & ascensos: peccandi enim occasiones fugiendæ sunt. Bellenus Dom. sexag.

Ufque ad pulverem, quem sparsit in aquam. Ex. 32. 22. S. Ambros. hic. Moyses comminuit vituli caput, atque in pulverem redegit: ut omnia impietatis aboleret vestigia.

Arripiens virulum, quem fecerant, combussit, & contrivit, usque ad pulverem. Ex. 32. 20. Oleaster: adverte prudentiam, & pietatem Moysis: prius in idolum, quàm in peccatores, saevit, ut peccati radicem extirparet.

Et sus. Levit. 11. 7. Suillâ carne abstinere Deus iussit; ut se à peccatis, atque immunditiis, abstinerent: Est enim lutulentum hoc animal, & immundum; nec unquam cœlum aspicit; sed in terra totò, & ore, & corpore projectum; ventri semper, & pabulo servit, nec ullû alium, dum vivit, præstare potest usum; sicut cæteræ animantes, avæ vel sedendi vehiculum præbeant &c. Interdixit ergo, nè porcina carne uterentur, id est, nè vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem

mortem nutriuntur. Item, nè se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno. Vel nè terrenis serviant simulachris, ac se lutò inquinent: lutò enim se oblinunt, qui deos, id est, qui lutum, terramque, venerantur. Lactantius l. 4. div. instit.

Mandat Deus Levit. 14. 43. non solum domum leprosi destrui, sed etiam erui lapides, & pulverem eradi, eumque projici extra civitatem in locum immundum. Quàm studiose Deus vult virari omnem occasionem, & periculum peccati; quod omni leprâ, & peste facilius inficit. Orig. hom. in Jerem. oportet quippe penitus interire malitiam. Pinna Ethol. 238.

Uvas recentes, ficcasque, non comedent. Num. 6. 3. Nazaræi etiam acinis abstinere debebant: nè videlicet ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum, transfirent. Ità Religiosi omnem, etiam minimam, & remotam, occasionem gulae, & peccati, præcavere debent. Cornelius hic.

Equos eorum subnerabis, & currus igne combures. Jos. 11. 6. Cur hoc præcipit Deus? cum usui esse possint Israëlitis? Abulens. q. 3. & 4. censet, equorum præciosos nervos; ut omnino ad bella redderentur inutiles: nè, si iterum in Amorrhæorum potestatem venirent, illi, recuperatis equis, bella instaurarent, felicior forsitan suecessu. Naxera hic.

Quem persecuti comprehenderunt, casus summitatibus manuum ejus, ac pedum. Judic. 1. 6. Abul. q. 7. summitates manuum præciatæ sunt, vel pollices, nè possent arma manu tenere: extremitates verò pedum, seu digitorum; quia illis abscissis nemo potest pedem in terra figere. Naxera in Jos. 11. §. 19.

Ego eduxi Israel de Aegypto, & erui vos de manu Aegyptiorum. 1. Reg. 10. 18. *Eduxit & erui.* Forlitan ab arbore sumpta est metaphora: quæ tunc solum eruta dicitur, cum radicitus extirpatur: Ut ergo perfectam suam Deus de Aegyptiis adornare victoriam; non tantum eductos testatur, sed erutos: nè vel aliquas in vitio deinceps radices agant. S. Bernardus l. 2. de assumpt: an aliud est, quàm fictio execranda, si peccata superficialiter radas, non intrinsecus eradicis? Certus esto, quoniam pullulabit ulterius; & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat hostis malignus, intrabit. Naxera in Jos. 11. §. 24.

Percute Amalec, & demolire universa ejus. 1. Reg. 15. 3. Non enim sufficit demoliri peccatum; nisi & omnis ejus circumstantia, & adjacentia, & occasio, destruat. Unde, si amasti aliquam, non debes postea commorari, vel colloqui illi, etiam de bonis, propter recidivam. Hugo Card. in Gen. 19.

Halitus ejus prunas ardere facit. Job. 41. 12. Quamdiu nulla sub carbonibus gliscit scintilla; licet omnes sufflent demones, ignem tamen non concipient, quousq; occasio ignem excitet. Juglar. conc. 4. hor. Quadrag.

Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Pf. 136. 9. Non parvuli vapulant, sed ad petram alliduntur. Orig. hom. *Polyanth. Sacra. Tom. II.*

15. in Jos. 10. 37. loco illius: *non reliquit in ea ullus reliquias*, legit: *non remansit ex eis respirans*. Ità agendum est discipulo JESU, ut nihil omnino vitiorum in corde ejus respiret: nè fortè, si parvi alicujus vitii, aut consuetudo, aut cogitatio, relinquatur in corde; processu temporis convalescat, & paulatim vires latitando exquirat; atque ad ultimum revocet nos ad vomitum nostrum; & *fiant novissima hominis illius*, cui hæc acciderint, *pejora prioribus*. Luc. 11. 26. Hoc erat, quod & Propheta prospiciens in psalmis præmonet dicens: *beatus qui tenebit &c.* Babylon scilicet parvulos, qui nulli alij intelliguntur, nisi cogitationes malæ; quæ cor nostrum confundunt, & conturbant. Quæ cogitationes, dum adhuc parvulae sunt, & initia habent, tenendæ sunt, & allidendæ ad petram, quæ est Christus; & ipsò jubente, jugulandæ; ut nihil in nobis resideat, quod respiret. Naxera in Jos. 11. §. 24.

Ascintilla una augetur ignis. Eccl. 11. 34. S. Chrysol. l. 116. vocat malas occasiones, fumantes occasiones. Post extinctum in domo, quæ conflagravit, ignem, si trabes etiamnum fumant; non satis credis omnem prorsus extinctum ignem. Sic, quorum animæ igne culpæ arserunt; extinxerunt illud incendium aquâ pœnitentiæ, relicta domi occasione. Fuitne hic bene extinctus ignis? non sanè. Nõne vides densum ab occasione asurgere fumum? Illa sopitos iterum suscitabit ignes. Did. Nis. fer. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

EX NOVO.

Fam securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. Non solum frondes arborum detondendæ, sed radices excelandæ. In certo Auth.

Colligite primum Zizania. Matth. 13. 30. Priusquam colligatur triticum, evellantur Zizania; id est, antequam quis virtuti incumbat, pericula vitet. Nota item: *ad comburendum*: Non satis Zizania evellere, & à tritico separare; sed exurenda, nè remaneat, quod iterum fata potest lædere, & inimicus homo seminare tritico. Orig. hom. in Jer. eradicatum est quippiam; invenit etiam adversarius inter ea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter hoc jubet Dominus: *colligite, & comburite*: scilicet ut eradicatio quoque, & ipsa subvertio, consumatur. Pinna Ethol. 238.

Serpentes tollent. Marci 16. 18. Non dicit, morsus serpentum: Origo enim mali eradicanda. Paulus Act. 28. 5. non solum manum servavit incolumem à morsu viperæ, sed etiam viperam, morsus causam, in ignem excussit. Sylveira hic.

Erat ejiciens demonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Cur non dicitur, quod Christus sanaverit mutum? sed quod ejecerit demonium mutum? quia demonium erat in causa, quod esset mutus. Et Christus D. ut bonus medicus, radicem pellit. Sylveira hic q. 5.

*Testimonia ex Veteri,
& Novo.*

Cur feminas reservastis? nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israel? Num. 31. 15. 16. q. d. licet aliis feminis ob naturam imbecillitatem parcendum; in has tamen, quia peccandi occasionem praeberunt, prius animadvertere oportebat. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. sect. 2.

Porro Judith universa bellica obtulit in annatima oblivionis. Judith. 16. 13. De spoliis Holofernis nihil voluit acceptare. Chrysof. reliquit omnia vestimenta, ne succumberet. Quid? ne succumberet? illa bellicosa virago? quae Holofernis potentiam non timuit, metuet spolia? voluit haec sancta vidua significare: quis scit, an non ad conspectum horum spoliatorum mentem invadet vana gloria; dum heroica gesta considero: possent mihi esse occasio incurrendi in sublimem aestimationem de me ipsa. Apage ergo; abeant ex oculis meis: nolo ea videre, nec retinere. Paoletti D. 18. Pent.

Viam iniquitatis amove à me. Ps. 118. 29. Cur non rogat, ut ipsam iniquitatem ab ipso removeat? prudenter: via, quae ducit ad iniquitatem, occasio est; immunis ab hac, certe securus erit à peccato. Id. ib.

Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. 5. 22. Non irasci, absolutio est, & supplementum; per quod praeceptum, non occides, custodiri queat. Qui enim in iracundiam non effertur; quanto longius ab homicidio abstinebit: radix quippe homicidij iracundia est. Qui igitur radicem abscondit, multo facilius ramos ejus poterit amputare; imò ne germinare quidem eos patietur. S. Chrysof. hom. 19. in Matth.

Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. Matth. 5. 30. Non loquitur de manibus, & oculis, materialibus; sed iis, quae sunt occasione, scandalo, offendiculo, in via virtutis. Euthymius: non dixit, percutere, sed amputare, manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque amputare, non ibi permittit, sed ulterius sermonem extendit, addens, & projice abs te; ne in proximo remanens fiat rursus familiaris. Did. Nis. Phoen. Grac. l. 1. c. 13.

Vide Occasio, Tentatio,

*Remedium secundum
Judicii memoria.*

Dixi iniquis: nolite iniquè agere - quoniam Deus Judex est. Ps. 75. 58. *Ero immaculatus coram eo & observabo me ab iniquitate mea, Quo medio? quoniam omnia iudicia ejus in conspectu meo.* Ps. 17. 24. Quando fortè ad aliquid peccatum videris te paratum; illud horribile mandatum, & Christi iudicium cogita: in quo Judex in alto sedens tribunali circumfusos undique populos coram habebit. S. Basilius in Ps. 33.

Alia remedia.

Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

Num. 21. 8. Oleaster hic, expendens, cur à serpentibus, isti serpentem aneum aspiciere debeant, ait: ut serpens, qui antea mordens occiderat: conspectus vivificaret. Quantumcumque à serpentibus sis morsus; si postmodum ea quadam animi poenitudine consideres; facillimè sanaberis. Novarinus Elect. Sacr. l. 3.

Nulla res sic nos ab omni peccato servat immunes, sicut timor supplicij, & amor Dei. S. Chrysof. l. 3. c. 10. de virt. & aliis.

Ira vincitur lenitate, mansuetudine extinguatur furor, crudelitas pietate prosternitur, impatientia patientiâ punitur, superbiam humilitas sternit. S. Chrysol. f. 38.

Vide amor Dei, Judicium. Memoria Dei.

§. XIV.

*Promptitudo, celeritas humana
ad malum.*

Ex Veteri.

Conspexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Gen. 4. 8. Cain eadem facit, cum nondum didicerit. S. Basil. Seleuc. or. 4. laboriosus auditor inquirat, à quo Cainus eadem facere sit edoctus? unde sciverit, plagam mortem inferre? hominem mortuum, conspexerat nullum: nullius cadis audaciam suam atgressæ spectaculum, quod ad imitandum invitaret, hausit. Cadis igitur evasit perpetrator, qui nondum fuerat inspector. Quisque vitia sine doctore novit. Naxera in Jos. 9. §. 18.

Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel. Gen. 4. 25. dixit Adam genitò Seth. Natus est autem Adæ hic restaurator perditæ Abelis post 130. annos Gen. 4. 17. Filij Cain flagitiosi in tantum subito excrevere numerum; ut necesse fuerit, illis construere civitatem, in qua habitarent. Quantum Zizania crescunt! Et Seth, quam tardat venire! quam facile nascuntur mala; quam difficile adveniunt bona! Did. Nis. f. de siti Christi. §. 5.

Recesserunt cito de via. Ex. 32. 8.

Formavit opere susurro. & fecit vitulum constabilem. Exod. 32. 4. Aaron non didicit ab exemplari fabricare vitulum; sed ipse exemplar ingenio molitus est; sine magistro idololatriæ artifex. Naxera in Jos. 9. §. 18.

Cucurrit adversus Deum erectò collo. Job. 15. 26. Hieron. abruptam, & præcipientem superbi indicat mentem; qui contra Deum infans audaciâ, non lentis gressibus, processit. apud Velleo in Judith. 7. 1.

Si videbas surem; currebas cum eo. Ps. 49. 18.

Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna; ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes; & aedifices, & plantes. Jer. 1. 9. 10. Nota: pluribus verbis usus est Dominus in iis, quae pertinent ad destructionem, quam ad aedificationem. Ex quo discit: duplò majore labore deijci rem malam, quam excitari bonam. Did. Nis. D. Pasch. §. 3.

Ex

Ex Novo, & Patribus, & aliis.

Dico huic vade, & vadit. Matth. 8. 9. B. Theodorus Studita Catech. 26. ait, peccatum posse commodius uti tali sermone ad obsequentes sibi; nam ad eundem modum inquit, ac multò potentius jubet sub se subjecto peccatum: loquere scæda, & loquitur: nefaria designa, & designat.

Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Joan. 8. 44. Cajetanus hic: in quo ostendit; eos esse obsequentissimos filios diaboli: utpote qui non expectant præcepta patris, sed spontanei sunt ad implendum desideria patris.

Sitio. Vas ergo erat positum acetò plenum. Joan. 19. 28. 29. Ut Christo fel, & acetum, propines; omnia semper in promptu reperies. Did. Nifs. D. 2. Quadr. §. 2.

Facile, & pronom est, esse malum: & hoc sine magistrò, sine exemplò, doctrinà, statim à pubescentibus annis imbuimur, & docemur. S. Cyprianus in præfat. lib. de cardinalibus operib. Christi.

Infirma ad bonum est humana natura, postquam semel per vitiositatem enervata est: non enim ita facile à malo rursus ad bonum homo convertitur, ut à bono ad malum accessit. S. Greg. Nyss. or. 4. in or. Dom.

Nihil minoris negotii, difficultatisque est, quam malum fieri; etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat. S. Gregor. Naz. in apolog.

Properanti ad nefas tarda sunt cuncta; festinanti ad facinus videntur remorari disposita. S. Chrysost. de Abfolon.

Magna est cæcitas nostra, magna scordia: non reperitur apud nos compunctio; sed tota mens nostra conversa est ad voluptates. Et sæpe fit, ut in theatris, & reliquis diaboli operibus, occupati non defatigemur: ac in Ecclesia Dei nè unam quidem horam adstare volumus. Et si de divino Evangelio longior instituat recitatio; & si Sacerdos preces paulò diutius protrahat; tristitia afficitur. Et, si is, qui incrementum sacrificium offert, paululum cunctetur; fastidimus, & oscitamus: utque ad vanas actiones, voluptatesque, nos recipiamus, à diabolo impellimur. Anastas. Sinaita or. de sacra synaxi.

Hæ communiter assignantur causæ, quare homo pronior sit ad malum, quam ad bonum. *Prima* causa est: quia ut dicit Sapiens, 9. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* *Secunda*: quia naturaliter facilius est descendere, quam ascendere. *Tertia*: quia communiter ea, quæ nos ad malum incitant, & inducunt, præsentia sunt; finis verò, & præmium virtutis nobis absens est. *Quarta*: quia continuo ad nostrum principium, id est, ad nihil, tendimus. Gerson Compendio Theologia.

Levis, & unica causa satis ad valetudinem lædendam: ad reparandam opus magnò artificò, medicò, pharmaciis, & curatore. Did. Nifs. Pol. cœl. p. 1. l. 2. c. 4. ad peccandum facile magisterium.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

§. XXV.

Peccata quæ reliquis graviora.

Num. 1.

Contra Religionem, & Deum immediate.

Dissimulavit DEUS rebellionem Hebræorum de Moyse lapidando cogitantium, juxta ejus querelam Ex. 17. 4.

Adhuc paululum, & lapidabit me. At verò Bethlāmitas, oculos in arcam irreligiosus elevantes, tam acriter punivit; ut *septuaginta viros de populo, & quinquaginta millia plebis* interfecit 1. Reg. 6. 19. Quasi gravius peccatum DEO videretur, oculos erigere in ipsum Deum sine debita religione; quam lapides jacere in hominem cum magna crudelitate. Mendoza in 1. Reg. 2. Peccatum contra Religionem gravissimum.

Sedecias, qui Propheta Micheæ alapam impexit. 3. Reg. 22. 24. vivus superfuit: ac verò Oza, qui extensâ manu arcam tenuit, nè de plaustro laberetur, percussus à Deo est *super temeritate sua, qui mortuus est ibi juxta arcam DEI.* 2. Reg. 6. 7.

Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum, commiserunt. Eccl. 49. 5. Quò jure dicit aliquis, saltè David & Ezechias, à peccantium numero excluduntur? Si ille adulterando 2. Reg. 11. 4. hic autem superbiendo. 4. Reg. 20. 13. gravissimè peccarunt? Literalis responsio est, ut Lyranus, Hugo, Dionysius, Janfen. &c. observant: quia licet hi reges aliàs peccaverint; nunquam tamen peccatum contra Religionem commiserunt. Ac si hoc solum peccatum sit; ut per antonomasiam peccatum dicatur. Id. ib.

Duo illi conservi regis peccaverunt; unus contra ipsam regem, alter contra suum conservedum. Matth. 18. 24. Peccatum prioris comparatur debito decem millium talentorum; quæ est immensa quædam pecuniarum summa, sexaginta auri milliones, ut dicitur communiter. Peccatum verò posterioris comparatur debito centum denariorum. v. 28. decem tantum aureos includens. Unde hæc diversitas peccatorum? S. Chrysost. hom. 62 in Matth. quantum centum denarij à decem millibus talentis distant; tantum, imò verò multò plus, ea, quæ in hominem peccata, distant ab his, quæ in Deum committuntur. Id. ib.

Num. 2.

Peccata altioris Status.

Peccatum viri cum Madianitide. Num. 25. 6. DEUS ægerrimè tulit. 1. quia totus populus illud ubertim deservit. 2. in ejus vindictam *occisi viginti quatuor millia hominum.* v. 9. 3. Phinees utrùmque sceleris complicem confodit; & ob id à Deo laudatur. Cur hæc tam gravis offensa? Erat uterque peccati reus nobilissimis ortus parentibus. Vir, Israelita, dux de cognatione, & tribu Simeonis: Mulier Madianita, filia principis Madianitarum. Mendoza Ggg 2 doza

dozin 1. Reg. 1. Principum, & nobilium, peccata gravius puniuntur.

Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees, Sacerdotes Domini. 1. Reg. 1. 3. Triplex filiorum Heli commendatio præmittitur: à loco; quia erant in templo: à genere; quia erant filii Heli summi Pontificis: à dignitate; quia erant & ipsi Sacerdotes Domini. Sed quorsum hæc commendatio; nisi ut ignominiosior eorum vituperatio. Mendoza hic annot. 6. Sect. 3.

Filij hominum! usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem? & queritis mendacium? Pf. 4. 3. Sept. *usquequò inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem?* Chald. *usquequò honor meus ad vituperium?* Aquila, & Symmachus: *usquequò gloriosi mei, seu gloria mea?* Vatablus: *usquequò potentes, ac principes?* Quò magis extollitur dignitas, magis exaggeratur iniquitas, Id. ib.

Tu signaculum similitudinis peccasti. & eiecisti te de monte Dei. Ezech. 28. 12. &c. Præcedunt laudes, ut culpa gravior habeatur. Id. ib.

Quantò gradus altior, tantò casus deterior. Hinc est enim, quòd multò difficilius renovatur ad vitam, ad unius criminis lapsum quilibet Christianus; quàm qualiscunq; Infidelis quotlibet criminibus obnoxius. Richardus à S. Vict. l. de verbo incarnato c. 14.

Num. 3.

Peccatum pejus in opere, & tempore sancto.

Ignis Dei cecidit de caelo, & tactas oves, puerosque consumpsit. Job. 1. 16. Ex ovibus fiebant victimæ, & sacrificia. Ut ergo summam à DEO derelictionem confingeret; ipsas oves ait, id est, victimas, quibus placari debebat DEUS, factas esse materiam divinæ iræ. Bæzat. 3. l. 14. c. 17. §. 28.

Iniqui sunt cæcus vestri solennitates vestras odovit anima mea. Il. 1. 13. 14.

Viderunt eam hostes, & deriserunt Sababatha ejus. Thr. 1. 7.

Maledicam benedictionibus vestris. Malach. 2. 2.

Va qui edificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum. Matth. 23. 29. Religiosum hoc per se opus est; sed in ipsa ædificatione peccabant; quod indicat comminatio *va*.

Penitentia ductus. Matth. 27. 3. S. Leo f. 1. de Pass. tam perversa impii conversio fuit; ut etiam poenitendo peccaret.

Quisquis animam nostram tollis &c. Joan. 10. 24. Christo novas fraudes, & insidias, moliuntur, eò potissimum tempore, quò divinis officiis magis intenti esse debebant, scilicet die eacœniorum. S. Cyrillus Alex. l. 7. in Joan. c. 9.

Nescis, quàm grave sit, in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? certè Dominus per Prophetam docuit, hoc grave esse maledictum, dicens; *& oratio ejus fiat*

in peccatum. Pf. 108. 7. S. Ambr. l. 1. de Abel, & Cain.

Num. 4.

Peccatum ex majori scientia.

Ab altitudine diei timebo. Pf. 55. 4. id est, à profunditate scientiæ; quia, sicut dicit Gregorius, ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Hugo Card. hic.

Quò quisque melius sapit, eò deterius delinquit. V. Beda in Marci 9.

§. XXVI.

Peccata Capitalia.

Num. 1.

Symbola.

Septem peccata capitalia sunt *septem Genes*, quæ terram promissionis occupaverunt. Deut. 7. 1. S. Bonaventura. De reformat. mentis p. 1. c. 20.

Septem demonia in Marco 16. 9. de Maria Magdalena per Christum ejecta. Id. ib.

Septem criminalia, quæ septem nominibus dæmonum repertis in sacra Scriptura conveniunt, quæ sunt Diabolus, Behemoth, Leviathan, Almôdæus, Sathanas, Exterminator, Dæmon, Hugo Card. in Luc. 8.

Septem capitalia vitia sunt *septem capita Draconis*, de quo Apoc. 12. 3. S. Bonav. cit.

Septem simulachra adorabant gentiles, ad honorem septem planetarum, quæ significant septem vitia, quæ adorant in Mundo falsi Christiani. Primum erat simulachrum Saturni; & significat Invidiam: quia dicitur esse malevolus; quia frigidus. Sic Mundus in charitate. Matth. 24. 12. *refrigescet charitas multorum.* Secundum simulachrum Jovis, qui significat Gulam: qui patrem de regno repulit; sic Gula Adam: quia planeta humidus. Tertium Martis, Iram: quia DEUS bellorum; igneus Quartum Solis, superbiam: quia solus lucet. Luc. 18. 11. *non sum sicut cæteri*; obscurat alia lumina. Quintum Venetis, Luxuriam: quia calidus, & humidus planeta: quia pulcherrimus; & pulchritudo causâ luxuriæ. Sextum, Mercurii, avaritiam: quia Deus mercatorum; & avaritia maximè in mercatoribus exercetur. Prov. 26. 8. *qui mittit lapidem in acervum Mercurii.* Quia sic turbatur computatio. Est frigidus: Avarus friget per carentiam fraternæ charitatis. Septimum Lunæ, Acediam, propter mutabilitatem, propter pigritiæ frigiditatem. S. Thom. Aqu. Dom. 10. Pent. ex Epistola.

Vitia capitalia assimilantur septem planetis. Primò in sole præ cæteris gloriosius incedente superbia, quæ semper appetit gloriosa. Pf. 120. 6. *per diem*, scilicet prosperitatis, Sol scilicet superbiæ; *non ariet te.* Secundò in Mercurio, qui est colore argenteus, & semper juxta Solem incedit, accipe Avaritiam; quæ argentum quærit, & propè superbiæ est. Tertio in Luna inspissante aerem, Acediam. Quarto in Marte sanguinem circa cor accendentem, Iram; quæ est accensio sanguinis circa cor, ut ait Aristoteles. Quintò in Jove,

qui

qui predest, cum sit benevolus, Gulam; quae de se necessaria est omnibus ratione vitae; nec ulli invenitur obesse; si eam sciverit debite cohibere. Sexto in Venere, quae ad Luxuriam disponit, vitium carnis. Septimo, in Saturno, qui est colore plumbeo, sive livido, Invidiam. Gemini-
ani l. i. c. 89.

Horâ septimâ reliquit eum febris. Joan. 4. 52. Peccatores laborant septem febris. Prima est Continua, quae est Luxuria, *Of. 4. 10. fornicati sunt, & non cessaverunt.* Secunda Quotidiana, id est, Gula; in qua peccatur quotidie. *Il. 22. 13. comedamus & bibamus &c.* Tertia Tertiana, quae significat Iracundiam ex accessione caloris. Quarta Quartana, quae significat acediam; quae provenit ex melancholia. Quinta Ethica, quae est Avaritia; quae difficile ut curetur. Hieron. cum cetera vitia senescant in homine, sola avaritia juvenescit. Sexta Ephemera, quae est superbia; quia cito deficit. *Job. 24. 24. elevati sunt ad modicum & non subsistent.* Septima Putrida, quae est Invidia. *Prov. 14. 30. putredo ossium invidia.* S. Thom. Aqu. Dom. 21. Pent.

Superbia comparatur leoni; Invidia cani; Ira lupo; Acedia asino; Gula urso; Luxuria porco; Avaritia ericio. Gerson de 7. vitiis Capit.

Num. 2.

Opposita peccatis Capitalibus.

1. Septem Virtutes.

Dicitur 3 Reg. 9. 15. quod septem munitiones aedificavit Salomon. Prima fuit *Mageddo*, quod interpretatur *fructus carnae*, & significat *jejunium*, sive parcitatem in cibis: parca enim cœna valde fructuosa est contra vitium gulae, & exercitium ejus. Secundum praesidium est *Mello*, quod interpretatur *plenitudo*, sive *adimpletio*. Hæc est *Elemosyna*: & est contra avaritiam, & exercitium ejus. Tertium est *Gazer*, quod interpretatur *robuste consurgens, vel fortiter vigilans*. Hæc est strenua operum multiplicatio; & est contra acediam. Quartum est *Bethoron*, quod interpretatur *domus ira*, vel *domus Magistrum*; & significat disciplinam: & est contra luxuriam, & exercitium ejus. Quintum est *Palmira*, sive *Emath*, quod idem est, & interpretatur *formidans eos*: & significat pavorem de propriis operibus; & est contra superbiam, & inanem gloriam. *Prov. 28. 14. beatus homo, qui semper est parvidus.* *Job. 9. 28. verebar omnia opera mea.* Sextum praesidium est *Baalath*, quod interpretatur *lucens eos*: & significat misericordiam, & compassionem, de damnis proximorum; & est contra Invidiam, quae ridet de damnis proximi. Septimum est *Ezer*; quod interpretatur *fortitudo*: & significat Patientiam, vel Mansuetudinem; quae omnia fortiter vincit; & est specialiter contra Iram, & exercitium ejus. *Prov. 16. 32. melior est patiens viri fortis.* Hugo Card. in Joan. 4. 6.

2. Vita, & Passio, Christi.

Christus ab Incarnatione, usque ad ascensionem, omnia opera fecit, ad expellenda vitia. Primum Incarnatio, ad expellendam super-

biam. Secundum Nativitas, quando de utero virginali voluit nasci, ad expellendam Luxuriam. Tertium conversatio in summa paupertate; ad expellendam avaritiam. Quartum magni amoris, laborando pro nobis, prædicando, ut procuraret nostram salutem; contra Invidiam. Quintum jejunium, contra Gulam. Sextum Passio, orando pro crucifixoribus; contra iram, & vindictam. Septimum Resurrectio, contra Acediam: quia multi mortui sunt per peccata, qui nolunt resurgere per poenitentiam. S. Vincent. Ferr. l. 3. D. 3. post Oct. Pasch.

In Cruce fecit septem opera; & in quolibet opere dedit nobis exemplum, & instructionem, vitandi unum peccatum mortale. *Primum* denudatio contra avaritiam. Antequam ponas te in lecto per infirmitatem, denuda te, ut Christus, satisfaciendo, & restituendo. *Secundum* conclavatio. Quæstio: quare voluit tot dolores sustinere? Resp. quod hoc fecit; ut daret nobis exemplum vitandi peccatum luxuria. *Tertium* propitiatio: *Pater ignosce illis!* ad dandum exemplum vitandi peccatum iræ, sive vindictæ. *Quartum* coronatio, contra peccatum superbiae. *Il. 28. 1. vae corone superbiae.* *Quintum* potatio, contra Gulam. *Sextum* spiritalis occupatio, contra peccatum acedia. *Septimum* lanceatio contra peccatum invidiae. *Id. 5. l. 3. D. 1. post oct. Pasch.*

Vitia Capitalia devota, ac frequenter, Passio- nis Christi meditatione curantur. Nam Capitis in Cruce humillima inclinatio curat superbiam: Sacri lateris apertio Invidiam: Oratio pro inimicis Iræ: portatio crucis Acediam: traditio sui Spiritus, Patri, sui corporis cruci, suae Matris Discipulo, & vestium crucifixoribus, Avaritiam: potatio aceti, & fellis, Gulam: flagellatio Luxuriam. Gerson de 7. vitiis Capit.

3. Dona Spiritus S.

A fame Gulae liberat Dominus per donum Intellectus: à bello Luxuria per donum Sapientiae: à flagello Iræ per donum Consilii: à calamitate tristitiae per donum Fortitudinis: à vastitate Avaritiae per donum Pietatis: à fame superbiae per donum Timoris: à bestia Invidiae per donum Scientiae. Hugo Card. in Job. 5. 19. Officium Donorum Spiritus S. est, dissipare omnes vitiorum obliquitates. Primo enim Timor propulsat reliquias superbiae: Pietas reliquias Invidiae: Scientia reliquias Iræ: ira enim quasi quaedam insania est. *Ecclæ 7. 10. Ira in sinu stulti requiescit*: Fortitudo reliquias Acediae: Consilium avaritiae: disponit enim Consilium ad Spiritus paupertatem. *Matth. 19. 21. Si vis perfectus esse; vade, vende &c.* Intellectus reliquias Gulae, quae mentem brutalem facit: Sapientia reliquias Luxuriae: quia gustatò spiritu despicit omnis caro. S. Bernardinus t. 3. in die Pent.

Septem vitia capitalia sunt septem Donis opposita: opponitur enim Sapientiae Luxuria, Intellectui Gula, Consilio avaritia, Fortitudini Acedia, Scientiae Ira, Pietati Invidia, Timori superbia. S. Bonaventura in Luc. 12. 9.

Timor, quia per eum quis se deprimit, nè super alium se extollat, excludit superbiam; quae super

Super alios se extollit. Pietas, quæ sibi illatas remittit injurias, expellit iram; quæ vindicare querit. Scientia, quæ mentem illuminat, evacuat Invidiam; quæ mortem excœcat. Fortitudo, quæ excellit in arduis, pellit Acediam; quæ torpet in imis. Consilium, quod docet pro transitoriis aterna mercari, removet Avaritiam; quæ in terrenis, & pro terrenis, tantum querit negotiari. Intellectus, quò verè delectamur in rebus spiritualibus, excindit Gulam; quæ vanè, & miserè, delectatur in carnalibus. Sapientia, per quam purè delectamur in Deo, extirpat Luxuriam. Gerson de 7. Don. Spir. S.

4. Oratio Dominica.

In prima petitione cohibetur Superbia: Superbi enim non sanctificant nomen Dei, sed nomen suum proprium. In secunda eliditur invidia, quæ est dolor alieni boni: unde non desiderat, ut proximo adveniat bonum, sed potius malum: & è contrario in ista petitione petitur commune omnium bonum. In tertia refecatur Ira; quæ voluntatem Dei non sequitur, sed proprium impetum. In quarta expellitur Acedia: ibi enim petitur robur tam spirituale, quàm corporale; quod confertur in pane corporali, & spirituali. In quinta eliditur avaritia; quæ est immoderatus amor congregandi, & retinendi, temporalia: unde & debita semper exigit, nec dimittit. In sexta extirpatur Gula, ex qua ortum habuit primaria hominis tentatio: cum ibi petatur amotio tentationis futuræ. In ultima refecatur Luxuria; quæ specialiter semper secum habet malum tam corporis, quod ipsa debilitat, quàm spiritus, cujus vires enervat. Gerson 2. p. tr. de or. Dom.

Prima petitio est contra peccatum blasphemiam: multi enim non sanctificant, sed blasphemant nomen Dei benedictum. Rex Franciæ S. Ludovicus fecit in regno suo ordinationem, ut blasphemus signaretur in lingua, vel fronte; ferrò calidò. Parisiis Magnus Burgenfis blasphemavit; captus, signatus, nequicquam amicis pecuniam ingentem spondentibus. Et dixit rex: vellem portare signum illud, ut hæc mala consuetudo tolleretur de regno meo. Secunda petitio contra avaritiam: quia avarus terram, non regnum cœlorum, respicit. Tertia contra Superbiam, omnes Christiani dicunt, *Domine, Domine*, Matth. 7. 21. corde credendo, & ore loquendo; sed non faciunt opere, obediendo: ideò oportet dicere *ter Domine*; & sic per obedientiam habebimus regnum cœlorum. Quarta contra Gulam. Quinta contra peccatum Iræ. Sexta & Septima contra Acediam: quia otiosi semper tentantur. S. Vincent. Ferr. f. 2. D. 4. post oct. Pasch.

Num. 3.

Miscellanea de peccatis Capitalibus.

Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & de sulphure Apoc. 9. 18. id est; de igne avaritiæ, fumo superbiæ, sulphure id est, fœtore luxuriæ. Subdit. v. 19. quòd potestas equorum in ore eorum est; scilicet principum præcipientium, aut suaden-

tium: sive exemplis post se trahendo. Et ideo subdit: *& in caudis eorum*, id est exemplis. Geminiani l. 7. c. 6. Tria sunt principalia peccata, Dei, & proximi, charitatem extinguentia; quibus totus Mundus infectus est: scilicet superbia, quæ offenditur DEUS per animam: luxuria; quæ offenditur Deus per corpus: & avaritia; quæ offenditur Deus per substantiam temporalem. S. Bernardinus t. 2. f. 18.

Per superbiam cor inflatur, per invidiam arescit, per iram crepat, per tristitiam conteritur, & quasi in pulverem redigitur; per avaritiam dispergitur, per gulam inficitur, & quasi humectatur; per luxuriam conculeatur, & in lutum redigitur. Hugo à S. Vict. de quinq; Septenis.

§. XXVII.

Peccatum veniale.

Num. 1.

Victor majorum sæpè à parvis vincitur.

De ligno scientiæ boni, & mali, nè comedas. Gen. 2. 17. Basilus, & Nyssenus: sciendum; mandatum, quod obedientiam hominis probaret, datum fuisse. Verùm si Deus Adami experiri vult obedientiam; cur non rem majoris momenti præcipit? parum in pomi contemptu obedientia laborat; quando paradisi deliciis exundat. Si voluisset reliquas omnes, unà tantum concessã, alacris obsequii agnosceretur devotio; at, tot pomiferis concessis arboribus, unã abstinere, nec cultus obsequium, nec obedientiæ videtur studium. Minima præcipit, ut obedientiæ virtutem examinet: nam vel indevoti est, magis obtemperare præceptis, aut perfecti, parere & minimis. Naxera in Jol. 8. §. 4.

Digitus Dei est hinc. Ex. 8. 19. Manu adversantur, & succumbunt digito. Scyniphes educere incantamentis non possunt, qui virgas dracones fecerant apparere. Theodoretus digitum Dei dixit, non manum; huic tamen digito succubuerunt non manui. Lethali non infici, iustorum est; aut non apicem Legis præterire, perfectorum. Id. ib.

Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai. Jol. 8. 1. Cur omnem secum multitudinem tollit, non muratam, nec copiosam urbem; sed oppidum invasurus? fors quia oppidum: sæpe enim exiliora, & minora, majorem virtutem, & fortitudinem, exigunt. Id. ib.

Rugitus leonis, & vox leana, & dentes catulorum leonum, contriti sunt. inquit Eliphaz. Job. 4. 10. Sed quid mirum? catulorum fractos dentes; quando discerptos leones, & leanas, præmisit? stylum invertat, & à catulorum dentibus inchoet; ut exaggeratio debitis gradibus ad summum ascendat. Leones vincere, virtutis elogium est; sed nonnunquam, qui leonem, & leanam, in frustra laceravit, catulorum sustinuit morsus. Id. ib.

Num.

Num. 2.

Peccata venialia vitandi motiva.

Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli per ambulantium in delictis suis. Pl. 67. 22. Referavit nobis, inquit, mortis januas, cum capita inimicorum confregisset, qui inquirunt hominum peccata; quique ne capillum quidem capitis inexploratum relinquunt. Dicit autem per capillum minimum peccatum. B. Theodoretus hic.

Attendite a falsis prophetis. Matth. 7. 15. S. Maximus ita intelligit: docuit Dominus lupra v. 14. viam cœli esse arctam, & angustam: nunc subdit cavete a falsis prophetis; qui dicunt, viam cœli esse latam, & laxam, & extenuant peccatum; veniam facilem promittunt; & vos in tartara ducunt. Sylveira hic c. 19.

Pueri parvi magna non desiderant, vilia solent admirari; currus, equos, aurigas, rotas, lutô factas. Tales nonnulli nunc viri reperiuntur: nulla his cœlestium cura; sed ad lutum, tanquam pueri, oblupefcunt: & terrenis divitiis blandiuntur; & gloriam, & voluptates, hujus sæculi magni pendunt; quæ ita puerilia sunt, ut illa, S. Chryl. hom. 8. in Joan. 17.

Res nullius momenti sæpe magnorum malorum causa efficitur: & ex parva negligentia, ingentia, atque incurabilia, fiunt vulnera. S. Ephrem de perfect. Monachi.

Quibus peccatis (venialibus) licet occidi animam non credamus; tamen ita eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentem, deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius cœlestis sponis, aut vix, aut cum grandi confusione, venire permittant. B. Casarius Arel. hom. de Verb. Ap. 1. Cor. 3. *cujus opus &c.*

Si necesse esset, aut totum Mundum, & quicquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi; etsi plures essent Mundi; vel infinito numero multiplicarentur; aut te facere rem parvam contra voluntatem Dei: cum intueor, quod sit contra voluntatem Dei; gravissimum quiddam, & nullô damnô comparabile, intelligo. S. Anselmus l. 1. cur Deus homo c. 21.

Sicut mors separat animam à corpore; sic, qui verè diligit, recedit ab omni eo, quod possit displicere dilecto. Magdalena ergo, quæ multum Dominum amavit, omnes carnis delicias dereliquit; & quicquid scire poterit, esse contrarium Christo. S. Bonaventura l. 2. in festo S. Magd.

Stultum esse nullatenus ambigatur; nec dubitetur; transisse in reprobum sensum, qui, quod Deum offendit, leve dixerit peccatum. Penitus nè leve dixeris, quod in divinam transit offensam. Non enim est leve, pro quò dimittendo quotidie oportet orare. Sim. Cass. l. 8. c. 43.

Num. 3.

Peccata venialia punita à Deo, & Angelis.

Eris tacens, & non poteris loqui. Luc. 1. 20. Non reliquit peccatum veniale Zachariae impunitum: & putas, quod tua mortalia manebunt impunita? Stella hic.

B. Veronica de Binasco V. narravit sororibus, quòd in Missa semel sororem curiosius aspexerit; ob id in raptu eam Angelus tantâ severitate increpaverit; ut diem extremum clausura fuerit, si corpori mens juncta fuisset talia patiens. Heu! quàm ingens fuit horror ille arguentis Angeli! quàm dura verba! quàm terribilis vultus! Rediens ad se tribus diebus innumeras fudit lacrymas. Quando deinceps Sacrificio intererat, nec quidem caput movere audebat, metuens divinæ Majestatis ultionem. Bolland. 13. Jan.

S. Francisca Romana, cum in frequenti mulierum cœtu vanus esset sermô illatus; ipsaque eum inturbare humano respectu nollet; maxilla ejus, audientibus cunctis, gravi alapa percussa fuit. Factum id ei sæpius ob leves defectus ab Angelo. Boll. 9. Martii. Internum animæ suæ statum Patri Antonello exponens; quia ex humilitate reticebat dona quaedam cœlestia; tam vehementem humeris illius ictum inflixit Angelus; ut ad pedes attoniti Confessarii corruerit. Ib. Ex altera vita c. 3.

TITULUS XVI.

PECCATA ALIENA.

§. I.

Luge, desle.
Symbola.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Glos. la Angelica: eorum improbitate pungeris, quos in filiorum numero gaudebas te accepisse. Did. Niss. ser. 2. D. 4. Quadr.

Super mortuum plora; defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora; defecit enim sensus. Eccl. 22. 10. Græc: *defecit enim intellectus.* q. d. stultus, putâ peccator, non tantum est dormiens, sed & mortuus, per peccatum, cui affixus hæret. Quare, sicut ploras

amici mortem, quia defecit ejus lux; id est vita: & supra fatuum, id est, sic, vel similiter luge, & plora fatuum; quia defecit sensus, id est, prudentia, & sapientia, quæ est quasi vita, & anima animæ. Rursum *defecit sensus*: quia nullum habet sensum suæ salutis, & rerum divinarum; periinde ac si esset mortuus. Cornelius hic.

Stare super vias, & videte. Jer. 6. 16. Lugent ergo viæ, quia Sancti lugent; dum cultum Dei contemni considerant: Deum enim colere, & poenitentiam agere, hoc est Deo solennitatem facere. S. Bonaventura in Thren.

Sume